



Sur l'Abbé Boileau les Recréations

v. De Dreux du Radier Tom I.



60,30

390

470

ΔΟΚΙΜΑΣΤΗΣ,

SIVE

De Librorum circa res Theologicas Approbatione,

DISQUISITIO HISTORICA;

Ex antiquis Ecclesiæ, Augustiss. Senatus, & Academiæ Parisiensis Monumentis


Cum curâ & fide expressa.

Jacques Boileau



ANTUERPIÆ,
Typis BERNARDI SALII.

MDCCVIII.



LECTORI CHRISTIANO PRÆLOQUIUM.

HIſtoriam, APPROBATIONUM, quam præ manibus habes, LECTOR OPTIME, paucis hominibus adnotam, & ad quam inveſtigandam pauciores Viri Literati, curationem ab ortu rerum Chriſtianarum habuiſſe videntur. Duobus abhinc an-

nis ſcribendam, concinnè & accuratè duximus. Enimverò cùm ejuſmodi rerum uſum, in Literariam & Chriſtianam Rempublicam ſeriùs irrepſiſſe intellexerimus, ex variis Lapidicinis quas ſtriatâ fronte & ſenili triſtitiâ ætate adhuc viridi, & crudâ effodimus, varii diſcrepanteſque caſus adeò civitatem Academiæ Pariſienſis miſcuerunt: ut eos ſcribere & legere ingenio, & literis præditis tum viris cum hominibus ſummâ cum voluptate jucundum, & conducibile fore non dubitaverimus. Nam quemad-

admodùm hominis eſt veri & hiſtoricì affatìm legere ſcribenda, ejuſdem potiſſimùm eſſe videtur confeſtìm ſcribere, legenda. Eâ de causâ ad hanc lucubrationem animum appulimus, & materiam ex ſe rudem & ſalebroſam expolire curavimus, ſatis contenti ſi Literatis Viris placerent quos fecimus ſermones de re tantulum ſeriâ & moroſâ. Ecquid enim homini Chriſtiano in otio jucundius accidere poteſt, & humanitatis gratiæ Chriſti amœnitate informatæ magis proprium, quàm ſermo neu-

tiquam facetus nec omnino rudis & indigestus, sed verus & sapiens in quo nihil effœminatum, nihil efferatum, nihil mendax, nihil quod non virtutis vim præ se ferat vel intra se ferat, eruditionis Græcæ & Latinæ setis hispidus? Age igitur simpliciter & confidenter in spiritu consilii & fortitudinis, Amice Lector, & erudite. Quippè cùm fructus uberes ex hac lucubratione à te perceptum iri speremus & confidamus efflictim & libenter. Nec enim tibi nisi commodum esse potest, perfectam ha-

buisse sapientissimi Cœtus Theologorum Parisiensium Defensionem, seu Apologiam, quam in re *Approbationum* circa Libros Theologicos. Quippe cum ipsa Facultas ab eo tempore quo primulum inventæ sunt ab Augustissimo Parlamenti Parisiensis Senatu & habita ratione Religionis & Officii impositæ, in novam formam mutata videatur agri seu speciem seminarii bus contradictionum, connotationum & altercationum retorridi: adeo ut infelicitate temporis non potuerit impedire integris suæ sa-

 pien-

pientiæ & prudentiæ viribus enixa, ne ipsa negotiosa otiosorum hominum mater evaderet à falsis Fratribus, & progenie viperina quasi prodita & oppressa.

Hæc verò & infinita capita ex lectione hujus *Disquisitionis Historicæ*, facile erit intelligere, cùm præsertim ex lemmatibus assumptis ex fodinis antiquis Historiæ veræ & sinceræ expressis per sulcos in erudito pulvere Academiæ Parisiensis diductos Corollaria Facultatis rebus propitia in opprobrium pravorum Consiliorum & imperitorum hominum

num, quibus nequicquam in Orbe Christiano injustius est colligere liberaliter & rotundè accipere velis, quibus huic lucubrationi finem impositam & felicis terminationis septum conclusum intelligas. Interim, vale, Lector Optime & Christiane, & Auctori, his impeditis Reipublicæ temporibus quibus vivimus nomine & patriis sedibus carenti benè apprecari non desistas, Veritatis Amico, defensori & interrito. Faxit Deus.

S. AUGUSTINUS,

Lib. De libero Arbitrio:

Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum quam Veritas relinquatur.

INDEX AUCTORUM,

Qui in hac Disquisitione Historicâ de Approbationibus Doctorum, *citantur, probantur, vel refelluntur.*

A.

B.

Ba-

Fran-

G.

In-

Laz

Odo

O.

Que-

Q.

R.

S.

Vial



ERRATA

ERRATA.

pag.	*lin.*	*Errat*	*Correctio.*
4	6	Dialecticorum	Dialectic.
8	27	ſanctiſſimi	ſanctiſſima.
14	2	ſcriptis	exſcriptis.
17	24	Joannis	Joanni.
25	15	πολίτειαν	πολιτείας.
38	9	τί δὲ	τίδε.
39	9	ſimile	ſimili.
41	6	ſatis	non ſatis.
65	18	Facultati	Facultatis.
ibid.	20	Facultati	Facultatis.
73	15	placiurum	placiturum.
74	1	cùm	cum.
75	27	perſequendum	perſequendam
81	17	δίδακτον	διδακτὸν
83	17	ſufferta	ſuffecta.
85	19	impoſita	impoſitam.
ibid.	25	ſpirarum	ſpicarum.
88	8	efficerent	effierent.
90	22	μεγαλονύμων	μεγαλωνύμων.
96	26	Viri	Viro.
103	10	Copreas	Copreos.
104	17	acerdiæ	acediæ.
107	12	ἀντιγεγράφοι	ἀντίγραφοι.
109	27	ποτήελον μου	ποτήελόν μου.
116	6	Fidei	fidi.
120	11	vinxit.	vixit.
126	13	Facultates	Facultatis.
130	19	κατεχοντες	κατέχοντες.

pag.

ERRATA.

pag.	*lin.*	*Errat.*	*Correctio.*
ibid.	11	τὸν ἐπι, ῥάβδῳ	- τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ.
ibid.	15	ᾠδὴ τὴν ῥάβδον,	*tolle punctum.*
ibid.	19	δαφνίνη δ' ἦν ῥάβδος ἦν	- δαφνίνη δ' ἦν ῥάβδ' ἦν.
ibid.	linea antepenultima	ἐπὶ ῥάβδους ἀπαγγέλλοντες	*scribe* ἐπεὶ ῥάβδους ἔχοντες ἀπηγγελλον.
131	3	Rudolphus	- Ludolphus.
ibid.	8	ῥαβδῳδεῖν	ῥαψῳδεῖν.
ibid.	17	ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ	*scribe* ῥάβδῳ.
ibid.	lin. pen.	ἠνεκὲς	*scribe* ἠνεκές.
132	4	ῥαβψῳδοὶ	- ῥαψῳδοί.
ibid.	6	ῥαβψῳδοῖς	- ῥαψῳδοῖς.
ibid.	8	μετὰ ῥάβδον	- ῥάβδου.
ibid.	20	ῥαβδαφόροι	- ῥαβδοφόροι.
135	13	Kalendis	- Kalendas.

ΔΟΚΙ

ΔΟΚΙΜΑΣΤΗΣ

SIVE

De Librorum circa res Theologicas Approbatione,

DISQUISITIO HISTORICA;

Ex antiquis Ecclesiæ, Augustissimi Senatus, & Academiæ Parisiensis monumentis cum curâ & fide expressa.

I.

INSTITUENTI mihi animum appellere ad scribendam singularem historiam, & mandare huic Lucubrationi veram originem & ortum approbationum, seu approbandi actuum & formularum quibus Libros de re Theologica conscriptos Doctores exornare & omni censurâ ex-

pertes tuendos recipere solent: consilii hominis prudentis & viri sapientis potissimùm esse videtur, primâ fronte dicere de ortu celebris & illustris Congregationis Theologicæ Parisiensis, sapientissimorum hominum matris amplissimæ, ut & virorum fortium & bonarum artium feracis optimæ, cui FACULTATIS SACRÆ nomen impositum fuit continenti tempore, aut SORBONÆ, quod Collegii seu Societatis antiquissimæ, in Academia Parisiensi primulùm, fundatæ fuerat & conditæ. Enimverò omnes homines qui de Deo ac de Christiano ritu scire volunt Parisiis, sive ex Regiâ Navarrâ, sive Choleteâ Domo, aut Societate Cardinalitiâ, Harcurianâ, aut Lexoveâ consistant, aut Cluniaci asceteriis, aut quatuor Mendicantium monasteriis erumpant SORBONICI errore populari palam audiunt aut ex plebiscitis liquidò intelliguntur.

Utcumque res sint, cùm olim ante sæculum Christiani ritus septimum, Theologia Lutetiæ ne in usu quidem necdum in honore ullo fuerit, rudi scilicet & salebrosâ etiam tum civitate Parisiorum nec dum magnopere

pere liberalibus disciplinis vacante, quo summatim seculo aut omninò tempore eruperit in formam sodalitatis, initium Sacræ Facultatis, & Academiæ Parisiensis, dicere difficile est, mihi verò nec ulli homini historico aut viro literato penitùs adnotum. Constat solummodò ex antiquis Legibus improbabile & incredibile esse, in Galliâ institui potuisse sodalitia aut Collegia, nisi intellectâ & perfecta lege Marciani, Libro tertio Institutionum relatâ Digestorum Libro XLVII titulo XXII. de Collegiis sodalitiis *mandatis principalibus præcipitur præsidibus Provinciarum ne patiantur esse collegia sodalitia.* Et Libro I. *Judiciorum publicorum Collegia si qua fuerint illicita mandatis & constitutionibus Senatusconsultis dissolvuntur*, juxta legem antiquiorem à Tarquinio latam quæ de collegiis extat apud Dionys. Halicarnass. Lib. IV. & aliam Julii apud Suetonium in Julio cap. XLII. &c. Octavii Augusti in eod. cap. XXXII. & Tiberii ibid. cap. XXXII. Adeoque mentem sequuti Magni Filesaci in Libro sub titulo Originis priscæ Statutorum Facultatis Theo-

logiæ Parisiensis ineuntem ætatem spectamus à Carolo Magno ad Philippum usque Augustum. Cùm præsertim eâ ætate viris Literatis Academiæ ovo primulùm exclusis, appellatio græca Grammaticorum & Dialecticorum hominum consuetudine plus invaluerit quàm Theologorum qui quidem initio revera Theologistæ potius & Grammatistæ viderentur. A Philippo Augusto ad Philippum Valesium adolescentiam: A Philippo Valesio ad Henricum Tertium firmam istam robustamque ac viro dignam ætatem exegisse videmus. Dehinc sub Henrico IV. verè magno & Ludovico Justo & filio Ludovico à Deodato verè Maximo crudam viridemque senectutem, accessionibus summæ eruditionis ac sanctissimæ religionis cumulatam veneramur & colimus.

Ego verò his omnibus bene ac sapienter perspectis, doctorem aut magistrum Parisiis docuisse neminem hominem reputo ex antiquis literarum monumentis Remigio Altissiodorensi antiquiorem, quem anno Christi DCCCLXXXII. docuisse Logicam perspectum habemus ex Joanne

Joanne Italo Auctore libri de Vità Odonis II. Abbatis Cluniacensis, quem anno DCCCXXXIX. Christi, ætatis verè suæ LX. floruisse non dubitandum est; his conceptis verbis scriptâ, *Odo igitur vir beatissimus apud Parisium Dialecticâ Musicâque à Remigio doctissimo viro est instructus.* Idem Remigius continenti tempore, docuit in urbe Remensi, teste Flodoardo lib. IV. historiæ Ecclesiæ Remensis. Eodem ferè tempore S. Odo atavis Regibus quamvis editus, Remigio Altissiodorensi successit & cathedram in bonarum artium & literarum schola, occupavit, primáque Parisiensis Academiæ fundamenta jecit rudis adhuc molis & indigestæ, penè vagiente Scholasticâ disciplinâ, prima doctrinæ S. Augustini elementa Parisiis constituit assumpta ex Libro *De Magistro* sive dialogismo quem in gratiam filii sui Adeodati conscripserat; uti refert & testificatur Libro jam dicto de vitâ S. Odonis idem Joannes Italus Monachus. *Odo*, inquit, *his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam S. Augustini Deodato filio missam perlegit*, ante annum scilicet

licet DCCCCLXX. quo Abbo Floriacensis in Angliam profectus fuerat, teste Aimoinio, capite III. secutus antea Remis & Parisiis Odonem.

Scholam Parisiensem insuper non levi honore decorat auctoritas Magistri Sti. Augustini, ex quo ineunte ætate rudimenta & elementa scientiarum accepit; quibus orbem terrarum intaminatis honoribus fulgentem illustravit; Cum præsertim hoc libro de Magistro, docuerit Christum esse verum & interiorem Magistrum animarum nostrarum, uti abundanter testificatur cap. XII. *Lib.* I. *Retractationum. In quo Libro de Magistro disputatur & quæritur & invenitur Magistrum non esse qui docet hominem scientiam nisi Deum, secundum illud quod in Evangelio scriptum est, unus est Magister vester Christus.* Ex quibus facile est intelligere exordia Dialecticæ & Philosophiæ Parisiis affatim ad speciem quandam Theologiæ spectasse & inclinasse.

Ducentis post annis vir μεγαλώνυμος incurrit, cui nomen erat Wilramo, de quo mentionem honorificam facit abbas Trithemius ad annum

MLXIV. Chronici Hirsaugiensis. *Claruit*, inquit, *his temporibus Wilramus ex Scholastico Bambergensi monachus Fuldensis, & tandem ex monacho abbas Cœnobii Mesburgensis, vir tam in divinis scripturis quàm in sæcularibus Literis non infimè doctus, qui in Parisiensi Gymnasio Philosophiam multis annis gloriosè docuerat.* Henricus Gandavensis Doctor Theologus Parisiensis in suo de viris illustribus & scriptoribus Ecclesiasticis libro, qui obiit anno MCCXCVI. laudat Petrum Lombardum Episcopum Parisiensem, Petrum Cantorem, Mauricium, Gilbertum Porretanum, Stephanum Anglum, Joannem Beletum, Simonem Tornacensem, Alanum Insulanum, Hugonem & Richardum Victorinum; quos accessione Roberti Pulli & Petri Pictaviensis cumulare potuerat, inter sacræ Theologiæ Professores Parisiis florentissimos post Abelardum; ad quem undique auditores & discipuli confluebant, qui x. Kalendas Maii obiit, anno Christi MCXLII. De singularis meriti & eruditionis viro dubitandi nullus relinquitur locus quin in-

ter primos Philosophiæ & Theologiæ Professores extiterit Parisiis, siquidem fides habenda sit Fulconis prioris Diogilli sermonibus in epistolâ quam ei scripsit postquam miserabili sorte exsectus à suâ Heloyssa sordidam repulsam passus est. *Præterea cunctos Parisiorum civitatem habitantes & intra Galliarum proximas & remotissimas partes, qui sic à te doceri sitiebant, ac si nihil disciplinæ non apud te invenire potuisset.*

Ab eo tempore formata & condita est schola sancti Victoris Parisiensis sub sancto abbate Gilduino Theologiæ professore ab anno MCXXXI. ad annum MCXXXIX. uti refert Joannes de Sancto Victore in suo historiarum Memoriali seu Commentario.

Eodem ferè tempore cucullati homines, Religiosi mendicantes cooptati comitiis Facultatis, scholas suas formaverunt. Conditum etiam fuit Sorbonæ Collegium à Roberto de Sorbonâ Magistro Theologiæ qui Ludovico IX. Francorum Regi sanctissimi à confessionibus & consiliis conscientiæ Oeconomus erat, toto orbe Christiano celeberrimum & in

clytum

cſytum multitudine innumerabili hominum illuſtrium & virorum pietate & ſcientiâ inſignium qui ex ſinu ejus agreſti quidem & ſubruſtico ſed caſtiſſimo eruperunt.

Continenti tempore exorta eſt Regia Domus Navarrica & aliæ multitudine inſignes, quas eâ ferè ætate conditas intelligimus ex libris Doctoris præſtantiſſimi Joannis Filſaci de origine parœciarum, de Epiſcoporum auctoritate & origine priſcâ Statutorum ſacræ Facultatis Pariſienſis & actis ſinceris hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis Hemerei Socii Sorbonici, Cæſaris Egaſſi Bullæi & infinitis aliis, quos in hanc Diſquiſitionem transferre non opus, immò ſupervacaneum eſſet.

II.

QUæ cùm ita ſint, ad tantum gloriæ & excellentiæ faſtigium nomen famáque Doctorum Pariſienſium pervenit, decertante cum eminentiſſimâ ſcientiâ eorum virtute & probitate ſingulari & inſigni amore veritatis cum Chriſtianæ paupertatis affectu, ut Innocentius Papa hujus nominis VIII. anno Chriſ-

ti MCCCCLXXXVI. missis ad Facultatem literis postridie nonas Decembris, mirificè laudaverit hujus ordinis doctores, ob singularem amorem quo veritatem prosequebantur, cùm præsertim disputatione & responsione polemicâ (vesperias vocant) interdixissent cuidam *Joanni Laillier* audaci viro ditisque notâ signato alastori, & recipiendâ laureâ doctoris, donec errores Wiclefianis furoribus propitios quibus erat inquinatus, retractaret aut expungeret. Insuper beatissimus Papa amplificato diplomate & decretorio declaravit nullum prorsus & invalidum Episcopi Parisiensis decretum quo dictus *Joannes Laillier* omni crimine hæreseos immunis lite contestatâ judicatus fuerat, postpositâ à dicto Episcopo Doctorum Parisiensium sententiâ & repugnante Censurâ. Conceptis verbis extant literæ Pontificis apud J. Launoium libro de Scholis celebrioribus pag. 236. typis Viduæ *Edmundi Martin* Parisiis sub sole aureo anno MDCLXXII. *Sententiam Episcopi Parisiensis qua ab eodem Joanne hæreticalem infamiam abolevit irritamus, cassamus & annullamus.*

mus. Quid tum? ſummo Reipublicæ Chriſtianæ præfecto fortiùs ac meliùs ſuæ exiſtimationis & benevolentiæ pontificiæ argumentum ſuppeditari non poterat in gratiam Epiſcopi Pariſienſis; cui nomen erat LUDOVICO DE BEAUMONT, multâ commendatione propter ſuam ſedi Apoſtolicæ obtemperationem digno, qui poſtridie Kalendas Junii obiit anno M.CCCCXCII. & in Baſilicæ Pariſienſis ſiniſtrâ parte chori ſepultus eſt.

Ducentis anteà annis, ſummus rerum Chriſtianarum præfectus & Pontifex Nicolaus III. anno Chriſti M.CCLXXVII. non minori cultu proſecutus fuerat Doctores Pariſienſes, cùm eis licentiam conceſſerat diû ante Pontificatum Innocentii VIII. docendi Theologiam per univerſum orbem terrarum diplomate ſeû bullâ datâ Romæ x. Kalendas Apriles, apud S. Mariam Majorem. Vi enim ac vigore hujus decretoriæ Bullæ Doctores Pariſienſes antecellunt aliarum Univerſitatum magiſtris, adeoque Doctores Theologi Pariſienſes ſpeciatim nuncupantur; cùm

cæteri Doctores Theologi simpliciter appellentur.

Gregorius IX. qui sedem Apostolicam occupabat anno Christi M. CCXXVII. appellavit Facultatem Parisiensem alteram קרית ספר id est, *Civitatem Literarum*, Bullâ datâ Laterani pontificatûs sui anno v. & OFFICINAM SAPIENTIÆ. Eodem ferè exornavit elogio Urbanus VI. dùm ait, *Quod inter Universitates Parisiensis scientiarum gemma refulget, velut quoddam sidus irradiat & pulsis procul ignorantiæ tenebris & errorum, doctrinâ ceù lumine circumlucet* In Bullâ datâ Romæ apud S. Mariam Majorem, Pontificatûs anno I. *Quidni gaudeamus & exultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis studii doctissimos & magnanimos veritatis orthodoxæ fidei pugiles intuemur.*

Æneas Sylvius Pius Papa II. in suâ retractatione gestorum in Concilio Basileensi ait, de missis hominibus Facultatis Parisiensis, *aderant in Concilio Basileensi legati Scholæ Parisiensis cujus est fama percelebris.* Dat. VI. Kalend. Maii M. CCCCLXIII. Meritum Doctorum

Pa-

Parisiensium ex eorum scientiâ & virtute tam vehementer eminens & splendescens, à sedis Apostolicæ præfectis ceû summis pontificibus extorquebat admonitiones & literas, quibus Doctoribus Parisiensibus suæ electionis notitiam significarent & ab eis propitium auxilium sibi procurarent & impetrarent. Hæc enim facilè intelliguntur ex Bullâ Benedicti XII. 1°. sui pontificatûs anno, v. idus Januarii anno M.CCCXXXIV. Idem habet Urbanus VI. in Brevi dato Romæ apud S. Mariam majorem 1°. sui pontificatûs anno quod videre nihil vetat in Bibliothecâ S. Victoris Paris. teste omni exceptione majore Joanne Launoio Doctore Parisiensi præstantissimo in libro de Scholis folio CCXLV.

RADULPHUS DE RIVO Tungrensis Decanus Tomo III. historiæ Pontificum Leodiensium mentionem facit hujus Epistolæ capite XII. Urbani VI. vestigia ingeminans Benedictus XIII. Petrus de Luna dictus, Literis scriptis XV. idus Octobris anno 1°. sui pontificatûs & XIV. Kalendas Novemb. eodem anno idem præstat.

Liquidò patet ex registris seû co-

dicibus Academiæ Parisiensis relatis & scriptis à clarissimo & doctissimo Joanne LAUNOIO Libro de Scholis folio CCLI. in quo hæc conceptis verbis habentur; scilicet Nicolaum V. anno Christi M.CCCCXLIX. idem præstitisse Pium II. M.CCCCLVIII. & Paulum II. observatque Academiam Parisiensem Deum in gratiam ejus rei multis rogationibus (processiones vocant) propitiasse.

Verùm enim verò non satis fuit pontificibus summis admonuisse Doctores Facultatis Parisiensis de suâ ad Petri Cathedram electione & provectione, sed eos excire & vocare non abnuerunt, ad comitia Conciliorum celebrandorum. Reverâ Martinus V. ad Universitatem Parisiensem scripsit ut suos deputatos Constantiam mitteret, cujus literæ incurrunt legendæ tomo XVIII. Annalium Ecclesiæ Orderici Rainaldi, & Eugenii IV. ad Concilium Basileense anno M.CCCCXXXI. Verùm diu ante Concilium Constantiense & Basileense consilia petebant à Doctoribus Parisiensibus Pontifices & Concilia ipsa. Hoc enim intelligere facile est duobus insignioribus Academiæ

miæ Parisiensis Cancellariis *Joanne de Corceon* & *Joanne Gerson*, quorum primus in summâ Theologicâ capite IV. quæstione de Correctione fraternâ refert Alexandrum III. consuluisse Petrum Lombardum & reliquos Doctores Parisienses sibi æquales ætate; alter verò gesta in Concilio Constantiensi cum curâ & fide narrat de negotio cucullati hominis *Joannis Parvi* defendentis quibusdam in casibus licitum esse trucidare seû violentas manus injicere in Principes & Reges, ac præsertim jure cæsum Ducem Aurelianensem quem Parisiis interfecerat Dux Burgundiæ tempore Joannis Papæ XXIII. regnante in Galliâ Carolo VI.

Nihil igitur tantulâ dignum admirabilitate videtur; Facultatem Parisiensem tot infinitis laudibus cumulatam fuisse, quippe coagmentatam multitudine innumerabili virorum illustrium ac doctorum hominum quos castissimè è visceribus enixa est, & quales in orbe constiterunt *Petrus de Corbolio* primùm Cameracensis Episcopus, postea Senonensis Archipræsul. Innocentius III. Papa, Gregorius IX. Benedictus

tus XII. Clemens VI. Archiepiscotpus Senonensis & Rothomagensis, celebris ille PETRUS ROGERIUS, è cujus vividâ memoriâ nihil unquam quod tenuerit, excidisse refertur. Alexander V. Cardinales Carolus & Ludovicus Borbonii, & Carolus Cardinalis à Lotharingiâ & usque ad annum M.DXXXVII. quatuor filii Principis Trimolliani, Franciscus, Carolus, Guido & Georgius.

I I I.

REbus igitur sic constitutis adeoque consultis Theologis Parisiensibus, à summis pontificibus & Conciliis generalibus in omnibus gravioris momenti negotiis, ex his naturæ vi consequebatur apertè Reges Christianos eodem consilio uti debere. Hoc verò exemplis quatuor quorum memoria deleri neutiquam potest, probari & confirmari necesse est.

I. Exemplum assumitur ex codice manuscripto Joannis Victorini sub titulo *Memorialis historiarum* ad annum M.CCCIV. in quo refert quâ ratione Philippus Pulcher filius nepos

pos sancti Ludovici consilium Facultatis expetiit de supprimendo seû penitùs delendo Ordine Templariorum, & qua ratione fieri potuit ut Universitas una cum Ecclesia Parisiensi præcipuè magistri in Theologiâ requisiti expressè suam darent sententiam & censuram.

II. Exemplum suppeditat Guillelmus de Nangiaco ex quo intelligimus anno MCCCXXXIII. Philippum Valesium Francorum Regem à Facultate efflictim obtinuisse quid Theologi cogitarent, seû sentirent de opinione Papæ Joannis XXII. qui palàm Avenione in concione publicâ errores docuerat quos continenter sacra Facultas censurâ notavit insuper habitâ veneratione & obtemperatione debitâ summo rerum Ecclesiasticarum præfecto & pontifici, neutiquam reputans ejusmodi errores seû propositiones prædicto Joannis XXII. adscribi posse; quippe cum eas solummodo differendo aut recitando protulerit. Sic conceptis verbis suam mentem exposuit sacra Facultas Parisiensis & judicium διδακτὸν Philippo Valesio.

Præfato autem juramento per nos

præ-

præposito duæ nobis fuerunt propositæ quæstiones.

. Prima utrum animæ sanctæ in Cœlo existentes videant divinam essentiam facie ad faciem ante resumptionem corporum, ante judicium generale. 2a. utrum visio quam de divina essentia nunc habent renovabitur in die extremi Judicii succedente. Et quia, Princeps serenissime, vos ut dominum nostrum carissimum fundatorem & gardiatorem Parisiensis studii & nostræ ibidem Theologicæ Facultatis Regemque præsentem venerari tenemur & vestris jussionibus obedire attendentes specialiter id quod ab ore vestro ibi demum audivimus scilicet quod nihil in hac materia quærebatis quod tangere possit sanctissimum Patrem ac Dominum nostrum Joannem dignâ Dei providentiâ sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summum Pontificem , cujus sumus devoti servi ac filii, quin immo sicut filius ejus devotissimus honorem in his & aliis zelabatis, advertentesque quod multorum fide dignorum relatione audivimus quicquid in hac materiâ suâ sanctitas dixit non asserendo seu opinando pro-

protulerit sed solummodo recitando.

Ex his perspectam habemus factam à Facultate, pro suo jure & more, distinctionem Juris & facti, prorsus incogitabile sibi persuadente, ejusmodi errores & propositiones erupisse ex ore Joannis XXII. quales refert Petrus de Alliaco in oratione ad Regem facta anno M. CCCCVI. die XIa. Decemb. & ait *Regem scripsisse quod nisi suam revocaret sententiam eam flammis addiceret.* Ejusmodi actum refertur integrum ab excellentissimo Doctore Magistro Joanne Launoio libro de scholis celebrioribus per Occidentem instauratis articulo XI. fol. 261 & 262. Addit Chronici Nangiaci continuator hoc anno M. CCCXXVII. summum Pontificem semper abnuisse sibi impositis erroribus; & excusationem constanter dedisse: asserendo, se nunquam ejusmodi sphalmatis inquinatum aut impiatum fuisse. *Extusavit se dicens quod nunquam tenebat nec unquam istam tenuerat doctrinam.*

III. Exemplum prodidit *annus* M. CCCCXCVII. die XI. Januarii, quo Facultatis consilium obtinuit Carolus

lus VIII. Rex Galliæ de hac causa, *Numquid non pontifex teneretur convocare concilium generale de decennio in decennium sive singulis decenniis elapsis.* Cui respondit, teneri, posséque prælatos se congregare & universam Ecclesiam repræsentare, ipso nihilominus repugnante, hoc præsertim tempore, *habitâ ratione perturbati ordinis qui in Ecclesiâ manifestus est tam in capite quam in membris.*

IV. Exemplum erumpit ex codicibus seû Registris Facultatis, anni M. D. XLII. die x. Martii quo facti sunt quinque & viginti articuli obtemperando jussis Francisci I. quos tum religiosè tuendos voluerunt Henricus II. & Franciscus II. cum Augustissimo Senatu supremo seû Parlamento Parisiensi adversus novam & impiam Lutheranorum doctrinam; qui passim referuntur integri & sinceri, à variis scriptoribus in libro τοῦ μακαρίτου Launoii de Scholis fol. 271. quibus subscribere voluit omnes, nemine repugnante, Doctores & suos homines sacra Facultas, impositâ pœnâ exclusionis & abdicationis omnibus tam justi decreti

decreti obtemperationi abnuentibus, si forte quiquam occurrerint. Hæc sunt concepta verba Facultatis. *Inhibet autem Theologorum Facultas iis qui de grege suo sunt magistris, Baccalaureis & cæteris gradum Theologicum nunc etiam in posterum profiteri volentibus, ne quo pacto supra dictis propositionibus contraria aut in concionibus prædicent aut in lectionibus vel alibi doceant; quin potius quando se materia & occasio offerret eas populo sincerè annuntient & apertè declarent. Porro etiam decrevit ut præfatas propositiones singuli Magistri & Baccalaurei chirographi sui appositione confirment & cum in suo grege lupos & immorigeros contentiososque alere tutum non sit, qui huic decreto parere noluerint & contrarias præfatis propositiones docuerint, & in posterum prædicaverint, è suo consortio ejiciendos in posterùm privare decreverit.*

Exterarum gentium alii Reges, quorum constans & firma fuit in Ecclesiâ Catholica & fide Christi permansio, non minori existimatione Facultatem Parisiensem commendarunt quàm Galli. Hoc verò satis constat

constat ex consultationibus Joannis Arragoniæ Regis die xx. Augusti anni M.CCCXCIV. Septembris XXII. eodem anno & XXVIII. Januarii anni M.CCCXCV. quæ habentur in veteri codice manuscripto abbatiæ S. Victoris Parisiensis & recensentur à Magistro Joanne Launoio libri sui de scholis capite XII. folio 280.

RICHARDUS Magnæ Britanniæ Rex scripsit etiam ad Facultatem die XV. Octobris anno M.CCCXCV. Ex Libro seû Codice *Picotii* Procuratoris nationis Gallicanæ perspectum habemus rescriptum Joannis Ducis Saxoniæ ad Academiam Parisiensem quo ejus rogat sententiam de novis Lutheri dogmatibus datum II. die Martii, decretúmque fuit non ei esse rescribendum donec ad Facultates Theologiæ, Juris & Medecinæ relatum fuerit. Hæc omnia cumulari possent accessione consultationis Henrici VIII. Regis Magnæ Britanniæ de suo cum Catherinâ Arragoniâ connubio seû potiùs divortio, si de eo aliqua occurreret mentio in autographis codicibus Facultatis: aut alii scriptores, præter illustrissimum Jacobum Augustum Thua-

Thuanum annuerent, & de consultatione Facultatis tunc temporis celebrata mentionem facerent. Cùm præsertim illustrissimus Præses referat hoc totum negotium penes doctores privatos constitisse. *Cúmque in gratiam Cæsaris Pontifex secundùm Catherinam sententiam tulisset xv. Kal. Apriles, Rex qui jam ante annum Catherinâ repudiatâ clàm Bolenam duxerat, exquisitis prius diversorum Theologorum sententiis imprimisque Parisiensium qui uti rumor erat pretio corrupti consilio de divortio subscripserant.*

I V.

AT verò cùm Facultas Parisiensis adeò esset exculta & exornata Pontificum, Regum & Conciliorum litteris & consultationibus ejusque nomen & celebris fama ad tantum gloriæ & honoris fastigium pervenissent, ut arx veritatis & summum Religionis præsidium in eâ collocatum esse videretur, non poterat Augustissimus Parlamenti Senatus meliori subsidio causam Religionis & Veritatis firmare ac tuendam recipere

pere quàm si decretorio Senatusconsulto interdiceret omnibus Bibliopolis Parisiis, quominus vænales libros quoscumque palàm exponerent, quin prius visi & approbati forent à cœtu Facultatis Theologiæ. Tunc quippè temporis tot libellis famosis atque impiatis voluminibus immersa erat facies universæ terræ, ut nisi hoc frænum impositum fuisset mordaci procacitati & effræni licentiæ scribendi, strumæ Calviniani & Lutherani dogmatis speciem penitùs deformassent Doctrinæ Christianæ.

Hac arte obstetricante manu Augustissimi Senatûs, seû Parlamenti, jura vindicata approbandorum librorum sacræ Facultati primulùm exclusa sunt ovo, & continenter asserta Cœtui Theologorum Parisiensium. Quippe cùm ex apologiâ Magistri Natalis Bedæ perspiciamus anno M.D.XXIII. die XXVI. Junii, conceptis verbis hæc scripsisse ad Senatum supremum: *Constituistis præterea publico decreto, nequa posthæc volumina sacræ scripturæ expositionem aut fidem concernentia emitterentur in publicum aut venumdarentur*

ventur nisi priùs fuerint ab ipso Theologorum cœtu recognita & examinata.

Porrò multa in hoc casu mihi videntur applicata cogitatione reputanda.

I. Ante annum Christi MDXXIII. nullus inveniri potest liber eâ formâ, qua ætate nostrâ fieri solet, approbatus, seu testificatione confirmatus Doctoris. Enimverò primulùm Senatus Augustissimus hoc jus approbandi & censendi Facultati vindicavit & asseruit, eâ auctoritate supremâ qua Parisiis τὴν πολίτειαν regit & procurat; non enim hanc potestatem Doctoribus adscribit & dat, sed eis datam adscriptamque recognoscit & vindicat; juréque suo utitur efflictim interdicto Bibliopolis facto ne libros de re Theologicâ conscriptos vendant aut publici juris faciant inconsulto cœtu Facultatis.

II. Hoc jus non privatis Doctoribus asserit & recognoscit ad eos pertinere, sed ad Cœtum integrum Doctorum Facultatis, seu patres congregatos; *nisi prius fuerint ab ipso Theologorum Cœtu cognita & examinata.* Porrò ex his necessarium

 con-

consectaneum erumpit, scilicet librum à Doctore particulari approbatum, ad Facultatem non delatum & ejus cœtui ac censuræ non subjectum, neutiquam censeri debere à Facultate approbatum, nec congruere primo decreto & præcipuo de approbationibus condito.

III. Totum hoc decretum spectat solum Libros qui Sacræ Scripturæ expositionem aut fidem tractant; nusquam verò versiones nominatim Patrum, aut quæstiones historicas aut disputationes criticas, quæ disciplinam, asceses, mores & usus quos varia tempora varios & discrepantes postulant.

IV. Ejusmodi leges impositæ sunt approbatoribus eo tempore: quo continenti, Magister Natalis Beda stomachosior Syndicus exacerbatus adversus Erasmum, qui sibi tunc satis propitiam habebat aulam Francisci primi splendore & specie literarum humaniorum quarum Instaurator & fautor audiebat Rex Maximus. Utcumque res fuerint, nihil potuit iram Principis & Patrum Augustissimi Senatus cohibere quominus litem raptim procurrentem duæ contro-

tro-

troversiæ & magni Tractatus instruerent & suscitarent adversus istum Syndicum, & dolore non consolabili eum afficerent, nullis quidem precibus Erasmi motum, aut ullis literatorum hominum sibi coæqualium vocibus tractabilem anno MDXXXV. impositâ pœnâ capitali seu irrogatione pœnæ honorariæ, cujus exactori publico se permittere coactus, reus tædiferi habitu per ora vulgi ad exomologesim calamitosam prælucentis ac planipedis traductus est, de quo hæc conceptis verbis leguntur in literis Bartholomæi Latomi ad Erasmum, quæ incurrunt inter Erasmi Epistolas typis impressas Londini anno MDCXLII. fol. 1541 Lit. G. *Beda tuus fecit emendam, (ut vocant) honorabilem cum hac confessione quod contra veritatem & Regem locutus esset, quæ verba ante ædem Divæ Virginis magno populi concursu præeunte præcone palam pronunciavit; ne forte Lutheranum illum fuisse putes. Sed tamen detinetur adhuc in carcere detrudendus in monasterium aliquod, ut ferunt, ubi & quando Regi visum fuerit.* Istud monasterium nuncupatur Sancto

cto Michaeli Archangelo dicatum in promontorio Ocrio sive periculo maris, Ordinis Sancti Benedicti ubi sepultus ac sub lapide conditus hoc Epitaphium tædio victus exilii & carceris habet. *Hic jacet venerabilis & mirabilis famæ vir Natalis Beda Doctor Theologus qui decessit anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto, die vero octava Januarii mensis anno* MDXXXVII. Honorarium ei homini Exsyndico antequam exularet Sacra Facultas dono dedit. Hæc quippe excerpta sunt ex autographis codicibus Facultatis, *Anno* MDXXXVI *die xv. Julii de præcepto Facultatis dono gratuito soluta est M. Natali Bedæ summa quinquaginta scutorum ad solem, valoris* 112. *Lib. & ass.* 10 *sol. cùm profectus est ad montem S. Michaelis.* Et infra, *Anno* MDXXXVII *octava Februarii mortuus est (Natalis Beda) & pro eo x. sequenti celebratæ sunt Vigiliæ & Missa apud Mathurinenses, partim expensis Facultatis, partim executorum Testamenti; & impensæ fuerunt viginti tres libellæ, quatuor solidi, & Magister Robertus Cœnalis Episcopus Abrincensis celebravit Missam in pontificalibus.*

Supra

Supra hæc non omittenda in eodem Regiſtro incurrunt quæ lite conteſtatâ prædicto miſerabili Syndico contigerant. *Anno* MDXXXIII. *die* 2. *Januarii M. M. N. N. Orry & Luillier retulerunt Facultati Dominum Du Bellay Vicarium generalem Domini Epiſcopi Pariſienſis* (is eſt qui poſtea Epiſcopus Pariſienſis fuit) *noluiſſe Facultati reddere regiſtra proceſsûs & cetera monumenta ſublata per Dominum Locumtenentem* MOVIN, hoc eſt rerum capitalium togatum præfectum, præſidem ſeu judicem delegatum, *ex camerâ Magiſtri Natalis Bedæ Syndici, dum fuit conjectus in carcerem. Vicarii excuſatio fuit expreſſum mandatum Regis. Decrevit tamen Facultas ut iterùm rogaretur, quod quidem poſtea factum, & fruſtra.*

V.

HIs ita conſtitutis, ad utendum jure quæſitô Librorum approbandorum & fruendum, nec arduum nec difficile fuit Facultati; quippè cùm intelligamus palàm ex codicibus anecdotis Facultatis an-

no MDXXXIV. pridie idus Septembris Jacobum Sadoletum Episcopum Carpentoratensem inter Patres Purpuratos continuo Romæ cooptatum multis rogationibus petiisse à Facultate examen Commentarii quem in Epistolam S. Pauli ad Romanos scripserat. Tum verò Deputatos fuisse ad ejusmodi lucubrationis disquisitionem & ἀνάκρισιν Magistros nostros *Valentinum Lievin* & *Orry* Auctori Commentarii homines prorsus incognitos, qui cùm multa animadversione digna & emendanda reperissent, à veræ & sanæ Theologiæ placitis alieniora, Magister *Orry* ad Facultatem exposuit, amplificato sermone cogitationes suas de observationibus factis ab universo Facultatis cœtu, & conclusione deditâ operâ factâ & decretoriâ interdictum est omnibus Doctoribus approbatione danda Commentariis D. Jacobi Sadoleti, quin prius responsionem fecisset seu diluisset sibi missas objectiones. Hæc porrò sic habentur excerpta è registris Facultatis autographis. *Item quia Dominus Sadoletus Episcopus Carpentoratensis miserat ad Facultatem quemdam librum intitulatum.*

latum Commentarium in Epistolam Pauli ad Romanos, *cum literis suit patens visitari à Facultate & dati fuerint deputati, videlicet Valentinus Liezius & Orry, auditâ autem eorum relatione in facie Facultatis de prædicto libro per organum prædicti Orry, dictum fuit quod scriberetur nomine Facultatis de prædicto libro per organum prædicti Orry ad eum, & significarentur quæ inventa fuerant in prædicto libro, & dictum fuit quod hæc conclusio legeretur in proximâ Congregatione de verbo ad verbum.*

Anno MDXLV. Kalendis Junii accessione quadam cumulavit S. Facultas hanc Approbationum Regulam, addendo scilicet relinquendum esse autographum vel apographum in scrinio Facultatis instar vadimonii Auctoris qui se in formulam vadis ac prædis alligaret ad tuendam vel expungendam doctrinam quam chirographo approbatoris deputati à Facultate ornatam fuisse contigisset. Re verâ enim hac ipsâ die Kalendarum Junii Socius Sorbonicus Robertus Cœnalis Episcopus Abrincensis cum scriptam à se lucubrationem de cœlibatu Sacerdotum obtulisset Facultati &

de eâ facta fuisset narratio. perorante *M. Le Preux*, licentiam approbandi Facultas dedit eâ lege & conditione, ut in archivis apographum vel autographum Auctoris relinqueretur seû deponeretur.

Eodem anno III. Kalendas Decembris cùm in Lusitaniam esset profectus assumpto nomine Legati Gisbertus Veronensium Episcopus, rogavit Facultatem examen & disquisitionem libri quem composuerat, & postquam exantlatos labores infinitos exposuisset quos in itineris & tempestatis longitudine sustinuerat, libri ad examen liberè & rotundè recepti tria & decem volumina in quæ divisus fuerat totidem Doctoribus partitim distribuit. *Facta est supplicatio Reverendi in Christo Patris Episcopi Veronensis à summo Pontifice Legati ad Regem Portugalliæ, petentis, ut visitetur per Facultatem Liber à se editus; quâ audita & protestatione cognita insuper longa profectione & immensis laboribus assumptis ut prædictum Librum censuræ Facultatis committeret, humanissimè excepit dictum Patrem Episcopum probitatem fidemque prædicavit; dictumque*

que suum librum in tredecim volumina divisum Magistris nostris distribuit visitandum.

Is est magnus Veronæ Episcopus, vir egregiè pius & pastoralis officii laude excellens *Joannes Matthæus Gisbertus*, apud quem mentiendæ sanctitatis tædio victus *Bernardinus Ochinus* ex Ordine longè cucullatorum hominum Franciscanorum Capuchinus nuncupatus, primùm confugit: & tam severæ disciplinæ primus desertor fuit, cujus condendæ auctor extiterat; pessundatis optimis tanti Pontificis consiliis quibus ob innocentiæ opinionem in primis studiosus magnoperè hortatus eum fuerat ut Romam iret, & veritate fretus animi ac sententiæ suæ rationem apud quos Pontifex summus jussisset exponeret, eáque de quibus insimularetur constanter refelleret. De quo vide vitam Cardinalis *Commendoni*, *Antonii Mariæ Gratiani* à Burgo Sancti sepulchri Episcopi Amerini, Libri II. capite 9. & vitam *Gaspardi* Cardinalis *Contareni* pag. 125. inter monumenta Latina *Joannis Casæ* impressa Florentiæ & edita nonis Septembris anno MDLXVII.

Tribus ante annis, cùm publicatus fuisset anno MDXLII. Codex Horarius precum Ecclesiæ Aurelianensis, *Breviarium* vocant, & typis mandatus, multis sphalmatis inquinatus & erroribus scatens, anno MDXLVIII. Kalendis Martii Facultas condemnavit hoc Breviarium & censuit, neutiquam repugnante aut contradicente Cardinale *Sanguin* Episcopo Aurelianensi, immò placitis Facultatis libenter & spontè obtemperante.

Eodem anno MDXLII. quo publicatum fuerat Breviarium Aurelianense, typis etiam datus est liber sub titulo *Institutionis Christianæ*, cujus Auctor erat *Joannes Calvinus*, & ejus occasione datâ, Senatus-consulto decrevit Augustissimus Senatus Parisiensis fore ut Universitas Parisiensis sapienter deputaret duos ex eadem Facultate Inspectores librorum Parisiis, in aliis verò civitatibus ubi nulla extaret Universitas studiorum decrevit inspectionem Librorum fieri debere ab Officiali aut Vicario Episcopi aut Doctore Theologo; his verò absentibus, à duobus commendatione dignis hominibus depu-

deputandis ab urbis seu Provinciæ Præfecto aut Judice Regio Diœcetâ.

Paucis ab hinc diebus hoc anno scilicet MDCCVI. Typis Batavicis impressæ sunt Notæ in Concilium Tridentinum Auctore Viro Jurisconsulto non inerudito, cui nomen *Rancicot*, causarum Cognitore, in quo libro hoc Senatusconsultum anni MDXLII. tanquam primum recensetur à Parlamento emissum, sed perperam & inconcinnè, si quidem alterius & anterioris mentionem fecimus bene & prudenter anni MDXXIII. ex apologiâ *Bedæ*.

Anno MDLIX. die VI. Novembris Decretum à Facultate sancitum est, quo singuli Doctores & Magistri tenerentur renuntiare Facultati omnes libros suspectos & hæreticos qui ad eorum notitiam pervenissent; & eodem Decreto interdictum est iis Doctoribus Syngraphum apponere actui approbationis librorum antequam ad Facultatem retulissent. *Prohibuit Facultas omnibus & singulis magistris nostris nequis ausu temerario apponat Syngraphum nomine privato quibuscumque libris visitandis,*

sed eos offerat & praesentet Facultati more solito: Hæc verba cum fide & curâ excerpta sunt ex Codice Facultatis, ex quibus luce meridianâ clariùs patet futilitas approbationis nescio cujus *Precelli*, *De Precelle's* pseudepigraphæ Libro Elementorum Theologicorum Doctoris Aremorici de quo infra & olim alibi dicturi sumus & aliis pluribus continenti sermone hujus Lucubrationis insuper testificaturi quantâ curâ & sinceritate Facultas procuraverit ut nullæ & invalidæ ferè omnes quotquot sunt multitudine innumerabiles approbationes librorum infinitorum privato nomine & sine cerebro datæ, recognoscerentur.

Anno MDLX. Octobris XV. cùm Doctor *Demochares* Socius Sorbonicus prodidisset librum à Facultate approbandum, cujus se Auctorem palàm & publicè professus est *De Sacrificio Missæ*, deputati sunt Magistri *de Ponte* & d'*Anoys* qui retulerunt esse Catholicum & nihil alienum à fide Catholicâ & Religione continere. Utcumque res sit Lex à Parlamento sancita omnibus viris literatis & ritûs Christiani Orthodoxis cul-

cultoribus adeò placuit & fuit accepta ut illustrissimus *Nicolaus Thuanus* Episcopus Carnotensis ei obtemperare non abnuerit. Enimverò cùm relatio facta fuisset in Comitiis Facultatis anno MDLXXV. die XV. Martii de Libro præstantissimi Episcopi sub titulo *Normæ piè vivendi parochis Diœcesis Carnotensis præscriptæ.* Sic conceptis verbis pronunciavit Sacra Facultas. *Auditâ relatione Magistrorum nostrorum* Juliani de Saint Germain *&* Dionysii Angart *qui ex ordinatione Facultatis visitaverunt librum inscriptum* Norma piè vivendi à R. in Christo Patre NICOLAO DE THOU *Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopo Carnotensi præscripta Parochis Carnotensibus in Diœcesanâ Synodo anno* MDLXXV. *non impedit sacra Facultas quominus dictus liber imprimatur.*

Utinàm eandem agendi rationem iniissent omnes & singuli successores illustrissimi *Nicolai Thuani* in Regimine Ecclesiæ Carnotensis ; non enim incurreret in oculos legentium hæc fatua & supervacanea fatui Commentarii propositio quæ legitur in Commentar. *Pentateuchi Historici*

pag. 325 in caput XXV. v. 22. Libri primi *Regum* publici Juris facti in gratiam & usum perversum Cleri Carnotensis, Carnuti, typis viduæ *Massot* viâ commutatoriâ an. MDCCIII. ad hæc verba, HÆC FACIAT DEUS INIMICIS DAVID; *de ipso Davide intelligendum est*, & sic habent LXX. τάδε ποιήσαι ὁ θεὸς τῷ Δαυΐδ. *Alioqui nulla execratio foret, & juramentum ridiculum esset si tantum hostibus suis imprecaretur malum; loquitur ergo David more vulgi qui non audet jurando imprecari mala sibi ipsi, quia anxiè timet ne si aliquod malum, sibi imprecetur, illud re verâ sibi eveniat, ita apud nos loquitur vulgus, dum enim vult dicere Diabolus me auferat, Gallicè reddit* DIABLE M'EMPORTE PAS, *vel* JE ME DEDONNE AU DIABLE. Ho! Commentarium jucundum si non probrosum, à cœtu Facultatis neutiquàm approbandum!

Omninò simile commentum occurrit ejusdem libri pag. 181. in caput XIX. Libri *Judicum* vers. 24. ad hæc verba senis, quem, horribili vitio flagrantes *Gabaonitæ* vitiare voluerant, *habeo filiam virginem & hic homo*

homo habet concubinam. Cùm doceat Apostolus non esse, facienda mala ut eveniant bona nec facienda sunt minora mala ut evitentur majora mala, sic nec Senex alioquin bonus & Levita non videretur à culpâ eximendi nisi fortè propter ignorantiam & animi perturbationem; quod & de Loth dici potest in simile casu. Geneseos XIX.

Quis verò sibi persuadeat ejusmodi sphalmata à Facultate Parisiensi approbatum iri si unquam ei oblata fuissent examinanda? Quis ex his consectanenm necessarium peccatum philosophicum non intelligat ab Apostolicâ Sede tantâ cum solemnitate proscriptum XXIV. Augusti anno MDCXC. & à Sacra Facultate à cujus doctrinâ & sapientia tam distant ejusmodi mentis delirantis monstra & prodigia quàm Scalæ Gemoniæ à cœlo Empyræo. Quæ cùm ità sint, ex his dubium relinquitur nullum, quin istiusmodi Doctorum approbationes inventæ sint ad frænandum lucrifaciendi Bibliopolarum æstum & exacerbationem in impressionibus Librorum qui solebant vades & prædes Auctorum se præstare erga Fa-

cul-

cultatem quos ad ædes publicas Facultatis excire in more positum erat, rationem reddituros, & solutionem difficultatum, quæ ex librorum disquisitione erumpebant. Hac provinciâ Augustissimus Senatus Facultatem oneravit quam ipsa sponte recepit, neutiqnam recogitans Doctores privatos posse aut debere hoc jure frui, sed hoc negotium ex integro spectare solitarium cœtum Facultatis & congregatos Patres.

VI.

ADEO rectus usus invaluerat deputandi Doctores ad examinandos libros & ad Facultatem referendos, ut anno Christi MDCVII. die VIII. Maji quidam Doctor, cui nomen erat *Aubin*, rogaverit Facultatem, ut in sui locum alium Doctorem deputaret ad examen sermonum Cordigeri Francifcani Lusitani, qui, ut aiebat, ejus mentem fascinaverat cohibendo quominus perspiceret multas λοιδίριας, contumelias ac sales Satyricos adversus Curatos & Parœciarum Rectores, quibus suos sermones infecerat, quos quidem

dem in tomo sibi ad examen commodato Lectorem Auctor celaverat; sed in altero quem prædictus Auctor cum Magistro *Mulot* communicaverat incurrebant & quos mente aut voluntate satis applicatâ, prædictus *Mulot* prætermiserat. Bibliopolas Parisienses qui typis suis hos sermones Cordigeri Lusitani publicaverant excivit Sacra Facultas in ædes suas in vico de Nucibus Parisiis nuncupato, rationem reddituros. Hi quidem excusationem dederunt approbationis datæ à Magistris *Aubin.* & *Mulot*, qui cùm ad Facultatem opportunè & cum fide debita non retulerint, eorum approbatio futilis & supervacanea declarata est & improbata.

Eodem die VIII. Maii MDCVII. deputati Facultatis congregati in ædibus vici de Nucibus nuncupati, Bibliopolis rogantibus eam permissionem, scilicet typis emittendi in vulgus versionem vernaculo sermone seû Gallico, factam sacrorum Bibliorum; responderunt, *Facultatem nunquam approbasse nec adhuc probare sacra Biblia Gallica.* Et quidem benè ac sapienter, quippe cùm eo tem-

tempore nulla exstiterint Biblia quæ de bonis Hebræis, Græcis, aut Latinis non essent Gallicè scripta deteriùs, & à mentis compotibus Doctoribus improbanda; Quippe à solitariis hæreticis hominibus & pravis Interpretibus traducta.

Hoc jus libros examinandi fuit adhuc effliĉtim confirmatum & vindicatum gerente Syndicatum Magistro *Edmundo Richerio* insigni Societatis Sorbonicæ Doctore. Enimverò ex Codice Facultatis anni MDCIX pridie nonas Februarii petiit à Facultate seû requisivit ut novos deputaret Doctores, ad legendos sive examinandos libros, *ut aliqui nominarentur ex singulis familiis qui libros examinarent, quod negotium remissum est ad Deputatos.* Qui videlicet ex consuetudine seligebant examinatores seû relatores & procurabant actum formatum approbationis. Quamobrem anno M.D.C.X. secundâ Octobris quidam Doctor cui nomen *Goüault* cùm retulisset Facultati se legisse librum cui titulus vernaculus, *la Conduite de la vie, le mépris du monde avec plusieurs autres traitez,* in quibus invenerat multa suspecta (uti

(uti habetur in Codice Facultatis) quæ quidem publicè legit, iisque auditis & exploratis à Facultate, omnes Magistri censuerunt vulgationem hujus libri esse prohibendam, quia quæ prælecta fuerant phrasin & rationem loquendi hæreticorum redolerent, insuper quia in librorum revisione longiùs & accuratiùs vident oculi quam oculus, Facultas etiam edixit ne posthac libri à paucioribus quam duobus Theologis recognoscerentur & obsignarentur.

Ex his manifestum consectaneum erumpit: Scilicet, omnes libros unius & solitarii Doctoris approbatione suffultos, aut alterius à Sacrâ Facultate non deputati speciatim, postpositâ relatione ad Facultatem seû omissâ, neutiquàm esse approbatos, immò eorum quæ videntur esse approbationes non solùm futiles & vanas, verùm etiam nullas & supervacaneas esse reputandas.

Non hac solitariâ ratione præcavendum sibi persuasit sacra Facultas; nam anno MDCXI. Kalendis Februarii, omnibus suis Doctoribus prohibuit generatim, & speciatim interdixit, nè ullâ approbatione testificaren-

rentur palam & publicè se ut Doctrinæ Facultatis quemquam Librum approbasse concordem, nisi prius petito & obtento à Facultate consensu & licentiâ. Insuper Doctoribus interdixit ne nomine Sorbonæ actus approbationum exornarent auctoritate Facultatis non consignatâ nec adjunctâ.

Porrò conceptis verbis sic se habet actum Facultatis authenticum typis expressum & publicatum an. MDCXII contra Doctrinam eorum, qui Sacris Regum & Principum personis vim inferunt, quæ habetur in libro, cui titulus REPONSE APOLOGETIQUE À L'ANTICOTON. *Anno Domini millesimo sexcentesimo undecimo, die prima Februarii Sacra Theologiæ Facultas Parisiensis post solemnem Missam de Sancto Spiritu sua ordinaria celebravit comitia in aulâ Collegii Sorbonæ super sequentibus Articulis.*

Primò recognita & obsignata est conclusio facta die quarta Januarii. 2. Dominus Syndicus retulit quemdam ex Patribus Societatis JESU nuper evulgasse Apologiam quæ hoc nominatim habet : QUODAMMODO DE-

DESIDERANDUM FUISSE UT RAVAILLACUS LEGISSET MARIANAM, *quoniam* Mariana *disertè & expressè docet Principem legitimum non posse occidi ab homine privato suâ privatâ auctoritate, hacque in re nihil dicere quod non congruat Synodo Constantiensi & Decretis Sorbonæ, cujus quidem locutionis antiquitate prædictus Auctor Apologiæ nititur persuadere sententiam Marianæ aliqua in re cum decretis scholæ Parisiensis adversus Regum & Principum parricidas convenire. Maximè autem quod nonnulli ex honorandis magistris ipsâ Facultate inconsultâ & contra morem ante usitatum in fronte ejusdem Apologiæ testentur se nihil quicquam reperiisse in prædictâ Apologiâ quod non sit maximè & particulariter conforme doctrinæ totius Facultatis Parisiensis; unde procul dubio continget ut non modo Galli, verùm etiam exteræ nationes quæ illam Apologiam legerint, arbitrentur Scholam etiam Concilium Constantiense rejicere sicut rejicitur à* Marianâ, *& consequenter licitum esse privatis personis propriâ auctoritate & quæsito colore Tyrannidis sceleratas manus sacris Regum*

gum personis inferre. Quocirca idem Dominus Syndicus rogavit Facultatem quatenus provideret ne ex ejusmodi assertione decretum Scholæ Parisiensis superiore anno ad Normam Constantiensis Synodi pro Regum & Principum salute constitutum penitùs evelleretur. Quibus auditis sacratissima Theologiæ Facultas decimam quintam sessionem Concilii Constantiensis suasque conclusiones cum prædictâ Apologia & libro Joannis Marianæ diligenter contulit ac subductis omnium magistrorum rationibus: Primò censuit Auctorem Apologiæ hæc non satis consideratè scripsisse; nempe quodammodo desiderandum fuisse quod Ravaillacus legisset Marianam, *quoniam* Mariana *disertè & expressè docet, Principem Legitimum non posse occidi ab ullo particulari suâ privatâ auctoritate, hácque in re nihil dicere quod non congruat Synodo Constantiensi & decretis Sorbonæ.*

Secundò, eadem Facultas declaravit Marianam nullo modo vel cum Synodo Constantiensi vel cum suis conclusionibus hac in parte convenire. Neque propterea tamen se ullam notam

tam prædictæ Apologiæ hîc inurere, sed tantummodo mentem suam de præfato Concilio quod repudiatur à Mariana propriisque decretis velle aperire.

Tertiò, omnibus & singulis Magistris Theologiæ prohibuit ne deinceps attestentur doctrinam alicujus libri esse conformem doctrinæ Facultatis Theologiæ, antequam super eâ re Facultatem ipsam consuluerint, ejúsque consensum in publicis Comitiis legitimè impetraverint.

Quartò, ne iidem Magistri in suis approbationibus nomen Sorbonæ deinceps usurpent nisi eorum attestatio publicis etiam Comitiis, ut moris est, disertè auctorata & comprobata fuerit.

Insuper grande piaculum videretur silentio obsequioso celare seu prætermittere ipsam approbationem à privatis Doctoribus violato Jure Facultatis datam incredibiliter & oscitanter prædictæ *Apologiæ Anticotonis* eodem anno M. DCXI. die secundâ Januarii. Eccam vide vernaculo sermone scriptam.

Nous soussignez Docteurs en la Faculté de Theologie en l'Université de Paris

Paris certifions à tous & un chacun avoir vû & lû diligemment le present Livre intitulé Reponse Apologetique à l'Anticoton & à ceux de sa suite, *composé par un des Peres de la Compagnie de Jesus & n'y avoir rien trouvé qui ne soit très-conforme à la Doctrine de l'Eglise Catholique, Apostolique. & Romaine des Universitez de la Chrêtienté & particulierement de la Faculté de Theologie de Paris, au contraire testifions y avoir remarqué plusieurs points fort notables tant pour decouvrir les ruses & calomnies des heretiques qui sous le nom de Jesuites attaquent furieusement le corps universel de l'Eglise que pour refuter & rembarrer pertinament leurs heresies. Fait en Sorbonne ce deuxiéme de Janvier mil six cens onze.* Signé

FORGEMONT. R. GAZIL.
FORTIN. A. DU VAL.

Eodem anno M. DCXI. die 2. Julii Magister *Edmundus Richerius* Syndicus sibi persuasit non sufficere ad lectionem & examen librorum duos Doctores deputari, adeóque postulato

lato oratorio obtinuit, nominari examinatores ex qualibet Domo, Societate, Collegio aut Familiâ ex quibus coalescit Cœtus Facultatis. Hujus postulatis non abnuit Sacra Facultas, immò confestim nominavit ex Sorbonâ Magistrum *Parent* & *Tranchant*, ex Navarrâ *le Pege* & *Lambert*, ex Cardinalitiâ *De Heu* & *Paris*, ex Choleteâ *Manier* & *Roche*, ex Cisterciensi M. *Salvot* Provisorem, ex Dominicanâ *Deslandes* & *Sancto Amore*, ex Franciscanâ Gardianum & *de Nau*, ex Augustinianâ M. *Courcelles* & *Jeunne*, ex Carmelitanâ Priorem & *Bourgoin*. Mirabitur lector usque ad articulorum fragorem, quantâ curâ & sollicitudine Sacra Facultas enixa sit impedire ne fallerentur Doctores in examine Librorum, quippè cùm anno M. DCXVII. Kalendis Augusti S. M. N. *Filsac* omni Sanctitatis & Doctrinæ virtute præstantissimus Doctor, non potuerit se cohibere ne consilium daret Facultati, ut quicumque Doctores Librorum approbatores ejus jussu evaderent, lineam ducerent continenti tempore, in inferiori margine cujusvis Libri à se perlecti & chirographum

phum apponerent antequam typis mandaretur; ne quid adjiceretur aut expungeretur aut variaretur, ut Pragmatici loquuntur; verumtamen eodem anno Kalendis Octobris nimis exasperati consilii salebras remollire opus esse sibi persuasit, adeoque Facultati proposuit reverâ seligere Doctores ex qualibet Familiâ sivè singulatim ex omnibus Collegiis qui in casibus necessitatis jure fruerentur approbandorum librorum quorumlibet, prætermissâ rogatione aut postulatione ad Facultatem. Hæc sunt concepta verba regesti: *Suasit ut non obstante statuto nuper edito circa approbationem librorum seligerentur ex singulis Familiis quibus liceret, quotiescumque aliqua necessitas urgeret, quoscumque libros etiam non impetratâ veniâ à Facultate approbare.* Selegit autem Facultas ad lectionem librorum quando id necessitas exiget, honorandos M M. N N. qui sequuntur, & primò Superiores Familiarum aut quibus id commiserint, ex Domo Navarricâ S.M.N. *Gouault* & *Lambert*, ex domo Choleteâ M. N. *Roches*, ex domo Sorbonicâ M. N. *Hardivilliers* & *Messier* Juniorem.

rem. Verùm hoc temperamentum à Doctissimo M. *Filsac* inventum neutiquam cohibuit usum à Facultate receptum referendi libros ad Facultatis Senatum, antequam deditâ operâ approbarentur à cœtu seu congregatione Facultatis. Enimverò anno MDCXX. Kal. Maji M M. N N. *Nicolaus Ysambert* & *Petrus Chappelas* non destiterunt referre librum publici Juris factum nomine CHRISTIANI FRANCI Provincialis Ordinis Sancti Augustini sub hoc titulo. *Felix Augustinensis Communitatis exordium & progressus cum approbatione fratrum* Joannis Balins & Rogerii Gerard, *ejusdem Facultatis Doctorum, cujus quidem libelli illis commissa fuerat Lectio. Qua auditâ relatione Magistrorum nostrorum* Ysambert & Chappelas *juxta commune dictum Regularia Regularibus relinquenda totumque negotium ejusdem Ordinis Superioribus discutiendum remisit & solam approbationem à duobus præfatis Doctoribus factam jure & meritò revocandam indicavit vetuitque juxta antiqua statuta ne quis in posterum ita leviter & sine accurato examine ulli libro subscribere vel incon-*

Jultâ Facultate ni vellet graves mulctas incurrere , & omnibus juribus & honoribus Facultatis privari. Hæc omnia cum fide expressa sunt ex Codice Facultatis.

VII.

HUc usque nulla in regestis Facultatis incurrit mentio de Libris aut lucubrationibus à mulieribus factis & à Doctoribus approbatis: sed hoc anno M. DCXXI. contigit postulari à Facultate examen libelli à piâ Moniali Abbatiæ Montis Martyrum Ordinis Sancti Benedicti, facti, sub hoc titulo vernaculo. *Meditations sur les vies des Saints & les Festes les plus solemnelles en l'Eglise & principalement de l'Ordre de Saint Benoit avec un bref Traité de la paix interieure :* Ejusmodi libelli approbatione interdixit Doctoribus Sacra Facultas, postulantibus hanc licentiam sibi dari quorum nomina erant *La Saulsaye* & *Roussel* , declaravitque Facultas indecorum esse & pertimescendum Doctori libros à mulieribus confectos approbare. Hæc sunt verba conclusionis factæ Kalendis Septem-

tembris anni MDCXXI. „Honorandus „Magister noster *de la Saulſaye*, ſup„plicavit ut ſibi liceret & Magiſtro „noſtro *Rouſſel*, approbare librum cu„jus titulus eſt: *Meditations &c. com„poſé par une Religieuſe de Montmar„tre.* Cujus auditâ ſupplicatione ho„norandus M. N. *Filſac*, numquam „immemor Veteris Eccleſiæ diſcipli„næ ac præſertim Canonis XCIX. Con„cilii Carthaginenſis IV. an. CCCXCVIII. „*Mulier, quamvis docta & ſancta Vi„ros in conventu docere non præſumat:* „expoſuit inauditum eſſe ut libelli à „mulieribus conſcripti cum Docto„rum approbatione in lucem prodi„rent, ideóque Facultatem non ita „leviter & ſine maturâ deliberatione „debere huic ſubſcribere." Sic autem cenſuit Sacra Facultas non debere quemquam ex magiſtris noſtris approbare libellos à mulieribus compoſitos. Hoc jus priſcum Facultatis indecorè violaſſe videtur M. N. *Martinus Grandin* cùm approbatione ſuâ exornavit librum Dominæ *Vaillant* infinitis fatuitatibus dedecoratum & ſphalmatis, de quo continenti ſermone non honorifica nimis incurret mentio.

Anno M. DCXXII Kal. Octobris numer. XII. Magister *de Besse* Doctor Parisiensis, & Collegii Sancti *Michaëlis* Primarius, electus Syndicus Facultatis, admonitionem fecit Facultati de duobus libris, quorum primus vernaculo sermone scriptus hunc præ se ferebat titulum : *Office de la Messe traduit en François*, alter verò erat cujusdam Dominicani Patris *Roderici* fœtus ab uno circiter mense scilicet Augusto exeunte publici Juris factus, in quo multa occurrebant fatuè dicta adversus Rectores seu Parœcos Ecclesiarum & totum Ordinem Hierarchicum. De quibus censuit Facultas admonendos esse Dominos Vicarios generales Capituli Parisiensis, quippe tunc temporis sede Episcopali vacante tristi morte PETRI GONDII Episcopi Parisiensis, ut impedirent venditionem Officii Missæ seu Liturgiæ Sacræ vernaculo Sermone scripti, cum eâ cautione, *si quid in ea erroris sit*, & insuper *conveniendum esse illustrissimum Franciæ Cancellarium per jam deputatos pro negotio* Roderici, *illique declarandum in quibus deficiat prædictus liber à fratre Dominicano* *con-*

conscriptus ut videat culpam nullam esse Facultatis si ejusmodi negotium non penitus sepeliatur.

Eodem anno MDCXXII. Kal. sive, Nonis Novembris, idem Syndicus *de Besse* obtulit Facultati, seu prodidit volumen cum epistolâ cujusdam Dominicani cui nomen erat *Campanellæ* qui efflictim rogabat Facultatem approbationem sui voluminis & quorumdam Opusculorum quæ Auctori prælo matura videbantur ; de quibus Jure suo usa Sacra Facultas censuit *approbanda non esse opera* Campanellæ, *sed ad eum honorificis verbis per Syndicum rescribendum esse, Facultatem non solere aliquorum ne quidem suorum opera, eo quo postulat modo, approbare.*

Denique anno M.DCXXIII. idem Syndicus *de Besse* obtulit Facultati commentariam præscriptionem rationum seu responsionum Auctoris libri inscripti *de Vocatione Magorum* Gallicè scripti, in qua totis viribus & applicatâ voluntate Auctor redhostibat seu diluebat objectiones sibi factas quibus in animo habebat fortiter defendere & suum librum tuendum vindicare. Rogavit impræsen-

tiarum relationem hujusce libri Magistros *de Mincé* & *Chappelas* ad examen deputatos. Huic postulationi Syndici sponte confestim & rotundè obtemperaverunt Deputati Domino *de Mincé* Facultatem adorante, dixerunt se legisse & examinasse hunc librum à capite ad calcem in quo multa horrenda, impia, scandalosa bonis moribus contraria valde obscœna, legentibus perniciosa, immo etiam in fide & religione periculosa incurrerant, ideoque dignissimum sibi videri, qui gravissimâ censurâ notetur. Hac relatione auditâ Magister *Parent*, Doctor Sorbonicus cognomine Sanctus & Pius censuit hæc omnia sphalmata esse in quatuor capita revellenda; sed Syndicus postulavit cùm duorum Doctorum suffragio & approbatione instructus seu munitus esset horribilis ac sacer libellus ad quem legendum aut examinandum licentiam nusquam petierant ut eorum approbatio Pseudepigrapha, nulla & invalida declararetur. Porrò de iis omnibus sic decretorio judicio ex suo διδακτῷ tribunali pronunciavit & censuit Sacra Facultas.

Li-

Librum de Vocatione Magorum tanquam impium, nefarium, horrendum, blasphemiis & obscœnitatibus plenum, scandalosum, bonis moribus adversantem etiam in fide & religione periculosum, rejectâ omni approbatione censura afficiendum judicavit; censuit rogandum Dominum Cognitorem Regium ne gravius inde Respublica Christiana patiatur detrimentum ut pro ea qua pollet auctoritate illius venditionem curet impediri, & ut posteris innotescat quanti sit momenti quamque grave ferat Facultas libros hujuscemodi periculosos à suis Doctoribus promiscuè approbari Magistros nostros Alexandrum Soto *Choletæum & Fratrem* Julianum Le Gendre *Carmelitam in pœnam culpæ ab illis contra statuta commissæ per annum integrum omnibus juribus, honoribus & privilegiis privandos æquissimè judicavit.* Hæc omnia eodem anno confirmata sunt die secundâ Martii. Quippè cùm Sap. Magistri nostri *Froger*, *Parent* & *Dupuis* ultimis Kalendis selecti fuissent ut coïtione factâ cum Sap. Magistris *de Mincé* & *Chappelas* reviserent & recenserent cum majori

curatione librum *de Vocatione Magorum*, rationesque Auctoris tam in Latino quàm in Gallico expendendas. Retulerunt se huic negotio operam contulisse & per organum Magistri nostri *de Mincé* multa ex tempore perlecta sunt prædicti libri capita censurâ notanda de quibus sic censuit Facultas, librum cui titulus est, *Vera & memorabilis historia de tribus energumenis in partibus Belgii &c. Auctore* Joanne le Normant *ritè ac legitimè superioribus comitiis damnatum fuisse ejusque censuram evulgandam adjunctis quatuor capitulis prout in superioribus dictis Comitiis concepta fuerant. Tum Magistros nostros* Alexandrum Soto *& fratrem* Julianum Le Gendre, *Carmelitam qui tam nefario & detestando libro subscripserunt, sex mensium spatio ex tunc privandos omnibus juribus & emolumentis ipsius Facultatis, ademto etiam Jure* Euphemiæ *ipsi* M. N. Soto *& utrique vetitum ne integro quadriennio libros approbare possint, taléque Decretum illis per majorem apparitorem sine morâ significandum.*

Duplex genus pœnarum temerariis

riis seu inconsideratis librorum approbatoribus impositum est ; scilicet ademtio seu depulsio omnium Privilegiorum Facultatis & privatio lucri seu honorarii , ut Euphemiani, per sex menses impositâ lege permansionis per quatuor annos in interdicto approbationis librorum, hoc est functionum omnium quæ ad Doctorem spectant, quæ pœnæ, si justæ & legitimæ fuerint, hoc est merito impositæ, præsertim scholæ auctoritatem & Magistri turpissimè dedecorant. Quæ cùm ita fuerint & pene infinita fuerit cura Facultatis ad formandas & reformandas approbationes librorum passim futiles & temerarias non potuit cohibere Doctores ne extra oleas nimis frequenter incurrerent nisi hoc descriptum infra decretum publicasset anno M. DCXXXIII. cujus apographa typis impressa invenire non difficile est ferè in omnibus Bibliothecis Parisiensibus Communitatum & Magnatum , ex quibus constat hoc decretum consectaneum seu continuò infrà Scriptum in nullâ falsi suspicione positum unquam fuisse.

DECRETUM

Sacræ Facultatis circa Librorum approbationem.

ANNO Domini M. DCXXXIII. *die primâ Decembris Sacra Facultas Parisiensis post Missam de Spiritu Sancto solito more celebratam ordinaria habuit comitia in aulâ Collegii Sorbonæ, in quibus honorandus Magister noster* Joannes Filsac *Theologus Ecclesiæ* Parisiensis *suasit ne ullus Magistrorum nostrorum in posterum Facultati supplicet ut sibi liceat approbare librum aliquem quin simul exprimat nomen & conditionem Auctoris nisi Auctor ipse privatim apud Doctorem examinatorem libri testimonio propriâ manu subsignato & apud eundem Doctorem asservando Auctorem libri examinandi profiteri malit. Quod si Laicus fuerit Auctor & in ejus libro nonnulla designatus Magister noster unus vel alter vel emendanda vel expungenda animadverterit ipse horum omnium indiculum conficiat*

quem

quem curabit ab ipso Auctore vel Bibliopola subsignari, eundemque apud se asservabit, ubi prius sive Auctor, sive Bibliopola pollicitus fuerit bona fide satisfacturum se huic indiculo, alioquin indiculum ipsum Magister noster, selectus huic muneri majori apparitori Facultatis veluti ejusdem actuario tradat. Idem etiam præstandum est si Clericus secularis Auctor fuerit sibi alicujus Facultatis auctoritate approbandi: Sin autem Religiosus fuerit cujuscumque Congregationis seu Regularium simpliciter vel Clericorum Regularium, vel denique eorum qui in communi quadam Societate sub unius Superioris obedientiâ vivant, nullus Magistrorum nostrorum, Librum ab hujusmodi Regulari conscriptum approbet quin prius Superioris aut Superiorum licentiam rectè subsignatam qua constet dicto Regulari ab iis libri memorati edendi facultatem esse concessam sibi tradi provideat quam apud dictum majorem apparitorem deponat qui illam Facultati, si opus sit, repræsentabit. Quod si Superiores istarum Congregationum licentiam istam concedere recusaverint, nominati exa-

minatores libri ipsum non prius approbent quam super eâ re Facultatem consuluerint.

Denique Magistri nostri quibus Librorum istius generis approbandorum licentia concessa fuerit eandem in Regularium quorumcumque libris examinandis cautionem adhibeant qualis in Laïcorum libris excutiendis supra excitata est.

Nullus insuper librum ab aliquo Superioris gradûs & dignitatis conscriptum publico probet testimonio nisi prius, ut dictum est, petitâ à Facultate venia atque servatis iis præmissis conditionibus. Quibus articulis auditis & diligenter examinatis atque assensu honorandi Magistri Besse *Syndici firmatis vetuit Facultas ne quis Doctor ejusdem ullum approbet librum nisi iis legibus aut conditionibus supra expositis sub pœnis pro culpæ gravitate vel levitate ab ipsa imponendis, & quamquam eadem Facultas omnes ipsius Doctores huic decreto obnoxios esse intendat, nihilominus tamen æquum esse censet ut qui* Lutetiæ *non degunt, quandoquidem & Facultatem ipsam commodè consulere nequeunt, saltem conditiones su-*

pra

pra expositas de Indiculo conficiendo & licentiâ Superiorum quoad Religiosos attinet, ab ipsis repetendâ diligentissimè observent ac si opus fuerit indiculum ritè subsignatum, tum etiam licentiam illam Superiorum ad Facultatem ipsam vel apparitorem majorem & ipsius actuarium mittant.

Quod si quis Magistrorum nostrorum Decretum istud secundum priores suas partes in approbandis quibusque libris diligenter facere & observare neglexerit, Facultas ex nunc approbationem ab illo vel ab illis subsignatam, irritam nullamque declarat, ac Magistro nostro sive Magistris nostris approbatoribus, si semel Decretum istud violaverint per annum quorumvis Librorum approbatione interdictum esse decrevit. Quod si iterùm, & secundo culpâ se obstrinxerit toto biennio à die culpæ deprehensæ omnibus Juribus, fructibus & emolumentis dictæ Facultatis reipsâ privatos esse denunciat. Sin autem tertiò in simile erratum lapsi fuerint convicti in perpetuum ordine & numero Theologorum Parisiensium expungentur. Ita tamen ut cuiuslibet

libet pœnæ infligendæ modus in ipsius Facultatis arbitrio positus est, prout admissæ noxæ gravitatem aut levitatem prius expenderit.

Præterea præcipit Facultas ut hoc Decretum typis mandetur ac illius exemplaria unicuique Superiori familiarum quæ ad Facultatem spectant & quarum Doctores corpore comprehendi dicuntur, idcirco tradantur ut suis qui Doctores sunt illud patefaciant nequis ipsius ignorantiam prætexat: qua in re si quæ à Superioribus si modo Facultati subjecta fuerint, culpa committatur, in ipsos pro rei gravitate animadvertet.

De mandato DD. Decani & Magistrorum præfatorum Facultatis Sacræ Theologiæ Paris.

PH. BOUVOT.

Ex hoc Decreto liquidò constat quatuor conditionibus adstrictos fuisse Doctores examinatores librorum, quibus prætermissis approbationes nullæ & supervacaneæ declaratæ sunt: & dicti approbatores spolian-

liantur omnibus juribus & privilegiis, ac probrosis pœnis mulctantur. At verò ejusmodi conditiones, seu leges mihi videntur jure merito benè ac prudenter sanctæ. Nihil quippe his Rationi congruentius cogitabile persuaderi potest ad frænandas fraudes & cavillationes quibus quotidie sapientia & prudentia examinatorum fallitur & quasi falsis imaginibus ludificatur; ex quibus erumpunt causæ & occasiones Doctoribus approbandi tot falsitates, mendacia, errores & hæreses & fatuitates quibus libri inconsideratè conscripti explentur & inquinantur. Ex tabulario Facultati & Carthophylacio perspicimus hoc Decretum unâ voce ab integrâ Facultati congregatione concorditer conditum fuisse, scilicet nemine homine repugnante, aut ægrè annuente.

Habemus exemplar formulæ omni exceptione majus, qua ratæ & certæ habebantur approbationes Doctorum, post Decretum sancitum Facultatis anno M.DCXXIV. Kalendis Augusti. Cùm enim Magistri *Du Fresne*, *de Mincé* & *Garnier* è Societate Sorbonicâ quadam altercatione vexarentur

tur

tur ob datam approbationem inscriptam Dissertationi contra æquivocationes, Auctore *Joanne Barnesio*, Benedictino Artium & Sacræ Theologiæ Magistro Parisiis impressæ apud *Rollinum Baragne* & *Jacobum Villery* in Palatio, hanc suæ sinceritatis & obtemperationis Decreto Facultatis impetrarunt testificationem seu actum subscriptum à majori Apparitore, quod hîc transcribere placet & expedit, ex prædicto libro fratris *Joannis Barnesii* collocatam inter Epistolam dedicatoriam ad summum Pontificem *Urbanum* octavum & Præfationem ad Lectorem. Conceptis verbis sic se habet. *Anno Domini* MDCXXIV. *die primâ Augusti Sacra Theologiæ Facultas Parisiensis post Missam de Spiritu Sancto solito more celebratam ordinaria habuit comitia in aulâ Collegii Sorbonæ in quibus honorandi Magistri nostri* Urbanus Garnier & Elias du Fresne, de Mincé, *quibus commissa fuerat provincia examinandi librum contra æquivocationes compositum per fratrem* Joannem Barnesium *Religiosum Benedictinum, dixerunt se illum accuratissimè perlegisse nihilque in eo reperisse quod adversetur fidei Catholi-*

ca,

tæ, Apostolicæ aut Romanæ, aut bonis moribus, & propterea approbasse tanquam utilem & bonum, séque de eo spondere & paratos esse omnibus satisfacere quandocumque aliquid contra hoc suum testimonium proferetur. Quorum auditâ relatione & protestatione censuit Facultas validam esse approbationem ab ipsis datam & nisi aliud adversus eam proferatur, non esse revocandam juxta illorum protestationem. Extractum ex libro Conclusionum præfatæ Facultatis Sacræ Theologiæ Parisiensis per me infra scriptum Majorem Apparitorem & Scribam ejusdem, die Octava Septembris anno qui supra.

PH. BOUVOT.

Sed cùm dissensionibus animorum & pravis coïtionibus omnes Societates misceantur, in quibus ex verbo captare contumeliam & jurgii caussam inferre homines hominibus non tam sapientiæ consiliis quam nescio qua fortunæ temeritate necesse sit factâ in Facultate Parisiensi incredibili & non consolabili animorum scissione, eorum scilicet qui supremam potestatem summi Pontificis Ro-

Romani usque ad cœlum Empyreum extollunt & aliorum qui laudabili temperamento Conciliorum auctoritatem Pontificiæ anteponunt, contigit Doctorem *Edmundum Richerium* Lingonensem emeritum Facultatis Syndicum & Socium Sorbonicum publici Juris fecisse & typis mandare potuisse libellum, *de Ecclesiasticâ & politicâ potestate* quem instar commentarii aut ὑπομνημονεύματος scripserat ad illustrissimum *Nicolaum Virdunum* Senatûs Paris. Principem qui cum literariâ necessitudine & familiaritate conjunctus erat. Sed cùm *Andreas Duvallius Pontesianus* Socius Sorbonicus Sacræ Theologiæ Professor Regius *Richerii* meritis virtutis & scientiæ Theologicæ non inferior ei restitisset & libellum retaliare aggressus esset, facti sunt ambo diversarum factionum & coïtionum velites & tandem præfecti, quorum asseclas continenti tempore iisdem invitis, *Duvalistas* & *Richeristas* nuncuparunt. *Duvallius* aulæ additior vel aula *Duvallio*, *Richerius* alienior videbatur, ambo cupiditatis & ambitionis vitiis æquabiliter expertes & liberi.

In

In re Theologica, quæ per ſe ad fidem non ſpectat, vehementer diſcordes, ſcilicet de auctoritate Pontificis Romani, an ſit ſupra Concilium generale, & generalis Concilii an ſit ſupra Papam. Id enim unum Concilii nomen ſupra cæteros infelices humanarum rerum caſus maximo terrori Pontificibus eſſe conſuevit, quod plerique in his conventibus dum de Republicâ Chriſtiana referunt, placita Religionis interpretantur nulli errori obnoxii & ad caſtigandam Sacerdotum luxuriam cenſorias Leges condunt, ipſi verò Pontifices Jure ſuo circumventi ejurare ſupremam dignitatem ſéque demum Pontificatu abdicare coguntur.

Interea cùm *Duvallius* ampliorem gratiam *Richerio* in aulâ ſibi conciliaſſe videretur, *Richerius* verò ſupremo Senatui & Magiſtratibus ac genti togatæ Galliarum gratioſior foret, fide Catholicâ Eccleſiæ ſtabili firmâ ex utraque parte permanente ac minimè læsâ, eo quod nullus dubitandi locus eſſet relictus, quin ſalutem conſequi poſſet æternam qui ſibi perſuaderet Concilium eſſe ſuprà Papam, & ſimiliter neutiquam fore

pœnis

pœnis æternis devotum aut mancipatum qui jura Pontificis adversus Concilium defenderet, *Duvallius* favoribus aulæ præstantior ut hanc legem Facultatis invalidam & prorsus nullam redderet séque proprio pietatis motu ac Religionis in omnium librorum impressioni obnoxiorum dominatu constitueret ac prælo matüris lucubrationibus felicem vitam aut tristem interitum aut abortum procurare posset sicque torrentia flumina Librorum quibus ab adversariis immergendus erat cohiberet aut frænaret, literas quas vocant patentes seu diplomata sibi procuravit à Rege Christianissimo dari quibus sibi imponebatur tribusque aliis selectis Doctoribus officium, & munus legendi & examinandi libros de re Theologica tractantes, postpositis aliis quibus non amovebatur facultas seu libertas approbandi, sed prorsus vacua & inutilis ad comparandam gratiam Privilegii seu impressionis & Typographiæ relinquebatur. Tres *Duvallio* adjuncti Doctores cum approbatorum officio nomen præ se ferebant *Quedarne*, *Messier* & *de St. Pere* ex Societate Sorboni-

bonicâ assumpti. Sed irrequietus *Duvallius* in hac fide non substitit. Has quippe literas Regias accessione cumulari curavit annuæ pensionis bis mille libellarum partitim inter quatuor Doctores singulis annis distribuendarum. At verò quo tempore Syndicus *de Besse* has molitiones Facultati exploratas palàm exposuit, Kalendis Augusti, anni MDCXXIV. Omnes attoniti exstiterunt Doctores ac stupefacti opprobrio quo avaritia ejusmodi selectorum Examinatorum conductitiorum & Glebæ adstrictorum inquinabantur. In memoriam revocabant sordidam repulsam eorum qui fœnoris contumeliâ affecti tempore *Henrici VIII.* Magnæ Britanniæ Regis, ære ejus allecti & delusi consultationi suo divortio propitiæ subscripserant, de qua mentionem facit probrosam & turpissimam Magnus *Jacobus Augustus Thuanus* Augustissimi Senatûs præses infulatus Histor. Libro 1. pag. 23. de qua supra numero tertio.

At verò quo tempore tot rumores excitabant in Facultate Parisiensi literæ Regiæ seu diplomata Docto-

ribus

ribus conductitiis & dissolubilibus ab ærarii Regii diribitoribus propitia, novæ literæ promulgatæ sunt in quibus conceptis verbis honoraria pensio bis mille libellarum quatuor Doctoribus partitim dividenda assignabatur & insuper decretoriè statuebatur futuram electionem approbatorum fieri debere, in ædibus Sorbonicis & ex Societate Sorbonicâ assumi oportere hosce Doctores, ritè vocatis duobus è Regiâ Domo Navarricâ ad electionem perficiendam. Insuper prædictis literis constitutum erat confirmatum iri prædictos Doctores electos ab illustrissimo Provisore Domûs & Societatis Sorbonicæ. Hæ literæ Regiæ datæ sunt Sangermani in Laya anno Christi MDCXXIV. Regni *Ludovici Justi* XV. subscriptæ DE LOMENIE.

Prætermittere nefas est mihi, his literis mentionem fieri antiquiorum omninò similium datarum Regnante *Carolo IX.* Rege Christianissimo adversus quas Doctorum repugnantia & altercatio magna facta fuerat & justa intercessio & executio dilata & comperendinata, sævientibus civilis belli exacerbationibus & tumultibus, im-

impeditis Reipublicæ Christianæ ob Calvinianam superstitionem temporibus.

Istiusmodi contentiones ac vitilitigationes civitatem Facultatis miscuerunt integris annis MDCXXIV. XXV & XXVI. continenter & frequenter intercessum est contra literas subreptitias, & impeditum quominus perficerentur seu executioni mandarentur. Tandem aliquando anno MDCXXVI. suppeditatis abundanter à Facultate suis rationibus & actis ut in literis patentibus seu codicillis regiis quos iterum emittere Regi fortè placiturum esset, inscriberentur conditiones ex quibus Doctores editionis librorum præfecti & reverâ Magistri intelligerentur, in Facultatis liberâ potestate, positâ electione integrâ & deputatione approbatorum, ad ejus nutum revocandorum Kalendis Decembris Magister *Andreas Duvallius* tædio victus opprobrii quo nomen suum famáque olim intaminata vexabatur ejusmodi deputationis specie sibi præsertim literis subreptitiis Regis imposita & accusatione pecuniæ seu æris regii accepti pro examine librorum qua Syndicus *de Besse*,

cùm impetiverat expostulans jure sui Syndicatûs ut Facultas ipsa congregata nominatim intercederet adversus hanc Deputatorum creationem, & impediret ne Decretum regium ejusmodi rei sanciendæ & constituendæ interponeretur & à Judicibus approbaretur; Ipse inquam *Duvallius* Dux & *Duvalistarum* morosus princeps Examinatoris Regii & conductitii seu pignoratitii Provinciâ se exoneravit & abdicavit palàm & in cœtu generali coram Patribus congregatis. Hæc omnia facile est excerpere ex actis & regestis Facultatis sic conceptis.

Anno Domini MDCXXIV. die primâ Augusti & postmodum idem D. Syndicus *de Besse* dixit eosdem Dominos *Du Val*, *Quedarne* & *St. Pere* de novo literas à Christianissimo Rege pro approbatione librorum impetrasse, quas ex tempore oblatas publicè legit omnesque suæ oppositioni contra tales literas communem hortatus est opem conferre utpote quæ singulorum juribus detraherent. De quibus sic censuit Sacra Facultas, *intercedendum esse ne literæ circa approbationem librorum eâ*

eâ formulâ qua conceptæ sunt, in Senatu verificentur, & ut melius intercessio concipiatur assumendum esse Patronum præstantissimum qui cum aliquot sapientissimis Magistris nostris conveniat in æde Facultatis ad illam conficiendam. Continenter in eodem regesto incurrit Diploma seu leguntur literæ patentes scilicet codicilli Regis Ludovici XIII. in gratiam M. M. *Du Val*, *Quedarne*, *Messier* & de *St. Pere*, dat. Parisiis die XXII. Martii anno MDCXXIII. magno sigillo ex cerâ flavâ appenso. Deinde videntur aliæ literæ in gratiam eorumdem Doctorum cum creatione pensionis annuæ bis mille libellarum inter eos partitim dividendarum. Eodem edicto decernitur fore ut ii Censores conductitii sint Societatis Sorbonicæ in Sorbonâ electi & à Provisore Sorbonæ confirmati.

Denique anno MDCXXVI. I. Decembris hæc verba incurrunt in Codice Facultatis autographo. Dominus *de Besse* Syndicus dixit *persequendum esse intercessionem contra quatuor librorum Censores quos resciverat pecuniam ex parte Regis titulo Censorum accepisse, cujus auditâ ex-*

 postu-

postulatione Hon. Mag. Nost. Andreas Du Val *protestatus est se & alios prædicto juri* PENITÙS RENUNCIASSE ET RENUNCIARE.

VIII.

CUm igitur Doctor *Duvallius* hoc munere & dignitate Magistrali Censoris Regii, benè nummatus cum aliis *Quedarne*, *Messier* & *St. Pere* se abdicasset: dubitandi locus nullus relictus erat, quin Facultas Parisiensis perfectâ pace & tranquillitate frueretur. Enim verò Illustrissimus Galliarum Cancellarius sigillorum Custos, & Procurator generalis quos sæpius honoris causa Clarissimi Doctores *le Tonnelier* & *Chastelain* ad hoc à Facultate selecti & missi salutaverant & ab iis omni genere humanitatis quod vultu & verbis exprimi possit, excepti fuerant auditis & perspectis rationibus Facultatis à viris tanti meriti benè & sapienter expressis, liberaliter & spontè censuerunt literarum seu diplomatis ac codicilli Regii prædicti & debere executionem suspendi & comperendinari, adeoque charitatem suam erga Facul-

tatem non ſenſu ſuo ſed ſalute ipſius metiri voluerunt, & ne in Privilegiorum ſeu Diplomatum emiſſione ad licitam & ordinariam librorum impreſſionem, falleretur incautiùs, ſumma magni Cancellarii Franciæ Amplitudo, convenerunt ſecundum admonitionem M. *Chaſtelain*, factam Kalendis Julii anno MDCXXV. approbationes Doctorum continenti tempore debere à Secretario, ſcilicet, ut vocant, Bidello Majori Sacræ Facultatis chirographo ſubnotari & confirmari.

Utcumque res ſint, in hanc ſententiam ivit concordiſſimè Congregatio Facultatis anno MDCXXVI. Kal. Decembris quo prædictam examinatoris conductitii ejurationem promulgaverat Doctor *Duvallius*. Verùm anno M. DCXXVIII. die 2. Junii Magiſter *Dupuis* Doctrinâ ſingulari & pietate inſigni præſtantiſſimus Doctor & Socius Sorbonicus poſtulavit ut Cenſores librorum non notarent in actu approbationis ſe ex Decreto Facultatis legiſſe aut probaſſe. Hæc ſunt concepta verba regeſti. Honorandus M. N. *Stephanus Dupuis petiit ut Cenſores librorum non ſcribe-*

 rent

rent legisse aut probasse ex Decreto Facultatis, ne quibus duntaxat permisit videatur velle præstare periculum censuræ privatorum; annuit Sacra Facultas.

Interim continua facta est in hoc statu rerum Facultatis permansio usque ad Kal. Augusti anni MDCXXXI. quibus Doctor cognomine *Roche* supplicavit ut sibi liceret approbare librum sub titulo *Collectionis Privilegiorum in gratiam scapularis Carmelitarum.* Sed cùm valde pertimescendum videretur, Patribus congregatis Facultatis ne populi Christiani anteponerent novam scapularis ascesim virtutibus Christiani ritûs cultoribus impositis, ac Sacris religiosè suscipiendis, cùm præsertim benè ac sapienter intelligeret, nihil esse quod faciliùs multitudinem regeret quam superstitio: decretoriè sancivit nihil esse immutandum in formâ approbationum supra relatâ & lege promulgatâ anno MDCXXXIII.

Porrò conceptis verbis ita se habet in Codice Facultatis Decretum Kal. Augusti emissum anni MDCXXXI. aureis literis in basi seu stylobate pro foribus hominum cucullatorum Ordinis

dinis Carmelitarum cælandum. *Repudiavit Facultas supplicationem Magistri* Roche *pro approbatione Libri Privilegiorum Scapularii, ne fortè Laici pluris faciant, magisque confidant in gestione & usu scapularii quam in praxi virtutum Christianarum & piâ Sacramentorum frequentatione. Porrò decrevit Sacra Facultas neminem ex Magistris nostris qui deinceps libros approbabunt debere recedere à vetere & usitatâ formulâ librorum approbandorum quam unicam probat dicta Facultas.*

Eodem anno IV. Novembris *censuit Sacra Facultas nullos libros anonymos esse à Doctoribus approbandos. Immò eo nomine improbandos quod essent sine nomine Auctoris*; & eadem die IV. Novembris *insuper rogavit D. Syndicus omnes & singulos Magistros nostros ut cautè legerent Libros suæ censuræ commissos, ne elogiis in suis approbationibus uterentur.*

Ab anno M.DCXXXI. ad annum M.DCXXXIII. nihil animadversione dignum quod scribendum aut legendum sit in re approbationum contigit: sed eo ultimo anno die XVII.

Augusti vir sapientissimus M. N. *Stephanus Tonnelier* è Societate Regiâ Navarricâ Doctor omni exceptione major, Pastor Ecclesiæ Parochialis *Sancti Eustachii* Parisiensis, vir ille inclytus qui præfuit anno MDCXXXV. Novembris XIV. Actui, quem vocant *Tentativam*, magni *Antonii Arnaldi*, in qua nondum erumpente AUGUSTINO *Cornelii Jansenii* Yprensis Episcopi, Sancti *Augustini* Doctoris Ecclesiæ Maximi Doctrinam de Christi gratiâ veram nervosè defendit, præsentibus non solum Ecclesiæ Gallicanæ Patribus congregatis, verum etiam plaudentibus & propalam approbantibus, scilicet annis quinque, antequam liber *Cornelii Jansenii* sub titulo AUGUSTINI Lovanii primùm publici juris factus fuerit. Utcumque res sint magnus ille & doctissimus Doctor *Stephanus Tonnelier* Pastor dignissimus ovium multitudine innumerabilium *S. Eustachii* Paris. retulit seu renunciavit cœtui Facultatis se invisisse seu convenisse illustrissimum Cancellarium ipsumque efflictim rogavisse ad tuenda Jura Facultatis propitiationem, in re approbationum libro-

librorum toties ventilata; Dixit Illustrissimum Cancellarium suis rogationibus libenter annuisse, sponsionemque fecisse fore, ut Jura Facultatis tuenda semper reciperet, & tantam violationem quæ contigit paucis abhinc annis cohiberet; quippe cum nihil ei non solum magis conducibile, sed necessarium Reipublicæ Christianæ videretur, quàm libertatem suffragiorum seu deliberativam vim in Facultate tueri ac defendere intactamque servare de omni re Theologicâ & Christianâ quotiescumque Doctorum Parisiensium sententia ad consilium aut judicium διάκριτου & decretorium peteretur.

IX.

ANNO M. DCXXXIV. die XV. Februarii vehementi sermone visus est Dominus Decanus paulò stomachosior admonere Facultatem: non solùm opus, verùm etiam necesse esse proponere terminum negotio de approbationibus librorum. Declaravit insuper Eminentissimum Cardinalem *Richelium* minis quibusdam

non modicè Facultatem tetigisse & asseruisse hasce lites & concertationes à Rege Christianissimo finitum iri, nisi Facultas quàm primùm felici terminatione concluderet. Verùm tamen hanc deliberationem comperendinare non destitit. Quam ob rem die 2. Junii, cùm multi ex Doctoribus conquesti essent libros plurimos in publicam lucem prodire cum approbationibus hominum imperitorum & virorum inconsideratorum, qui in suis approbationum actis & formulis, celabant Lectores Academiam seu Universitatem in qua fuerant initiati laureâ Academicâ, quod valdè indecorum & probrosum Facultati Parisiensi videbatur; Quippè cùm his approbationibus fraus fieret Regi seu Cancellario, cujus ope Diplomata sive Privilegia ad impressionem Librorum constituebantur. Deputatus est M. *Chastelain* ut inviseret Dominum sigillorum Custodem, id est, Procancellarium, rogaturus ne sibi persuaderet culpâ Facultatis rem ita accidisse, quippè cum lege sancivisset, debere primum Apparitorem recognoscere & subscribere singulis actis

actis approbationum Doctorum Parisiensium.

Eodem tempore cùm perversus usus irrepsisset, quo omnis generis homines indocti doctique passim approbationibus subscriberent, ut hodie plerumque fieri solet, adeóque nullum remedium adhiberi posset *cacoëthi* insanabili & prurigini scribendi libros erroribus & sphalmatis scatentes; Sacra Facultas cœpit consilium è suo gremio seligendi sive nominandi approbationum Inspectores seu novos Censores, quos *Antigraphos* vocavit, hoc est novos examinatores qui essent quasi complementa sufferta diligentiæ priorum.

Primum specimen ejusmodi Examinatorum ἀντιγράφων contigit occasione singularis Viri & Doctoris Insolentis cui nomen erat DE SAINT SIMON supplicantis postulato libellari ut sibi liceret approbare Librum sub titulo SEMINARII HERMOGENIS, *le Seminaire d'Hermogêne*, Auctore *Philippo Engolismensi*, homine communi Sago indusiato longo cucullo Capucinorum exornato.

Die secundâ Aprilis anni MDCXXV. assignati istiusmodi Doctori Inspectores

res duo ἀντίγραφοι Clarissimi viri *Parent* & *Bachelier* Socii Sorbonici pietate & scientiâ eminenti insignes viri, decrevitque Sacra Facultas continenti tempore seligendos esse in qualibet supplicatione pro libris approbandis duos novos Inspectores ἀντιγράφους qui cum approbatoribus conferrent, de libris evulgandis, & insuper adjunctum est novo Decreto necesse esse abnuere omni supplicationi aut rogationi pro approbando quocumque libro quin prius declarasset liquidò & palàm testificatus fuisset approbator, se jam confestim & cursim librum perlegisse. Hæc sunt verba concepta Decreti; *Nullumque supplicare sibi approbandi & examinandi licentiam, quin prius jam librum illum legisse cursim profiteatur.*

Ex his intelligere facile est, ad duo nova capita inusitata integrum approbationum negotium devolutum fuisse, sive remedia aut artificia ad disperdendum frænum erroris & contumaciæ quod erat in maxillis Doctorum quorumdam, in approbandis libris inconsideratorum. Nihil inveniri potest opportunius hac lege

lege & edicto Facultatis ad cohibendam multitudinem indigestam innumerabilium approbationum pretio emptarum à Bibliopolis aut fœnore quodam turpi procuratarum. Quam ob rem, cùm hoc ipso anno MDCXXXV. Liber quidam in lucem publicam eruperit Auctore *Bertino Bertault* Presbytero, declaravit Sacra Facultas se prorsus abnuere publicationi, tam Sacri & horribilis libelli; & decretoriè sanxit rescribendum esse ad Reverendissimum Archiepiscopum Rothomagensem ad ejusmodi libelli frænandam venditionem in suæ Diœcesis partibus.

Eodem anno IX. Kalend. Februarii novam artem declinandæ pœnæ à Facultate imposita invenerunt duo Doctores Societatis Sorbonicæ *Parent* & *Damont* viri prudentes & periti. Reverâ enim cùm approbare non abnuissent Librum typis impressum Parisiis apud *Tussanum Dubray* viâ Jacobæâ sub insigni *spirarum maturiorum*; sub titulo: *Disputationis Cabalisticæ R.* Israël *filii* Mosis *de animâ & opus Rythmicum Rabbi* Abraham Aben Esræ *de modis quibus Hebræi legem solent interpretari.*

 Cujus

Cujus verba Rabbinica Latinis reddere curaverat Nobilis Vir *Josephus de Voysin*. Cumularunt Instrumentum approbationis accessione amplissimi Indicis sphalmatum quibus inquinabatur iste Liber in textu & notis adversariis quæ Lectorem inducere potuissent in discrimen Vitæ Christianæ & sapientis, sub lemmate *Censuræ Doctorum*, quam plusquam septem & septuaginta propositionibus & opinionibus Rabbinicis inusserunt, de quibus conceptis verbis sic fantur in Instrumento approbationis prædicti Doctores *Parent* & *Damont*, *cujus versionem sinceram omninoque Chaldaico Rabbinico textui consentaneam reperimus. Ne tamen hi Auctores alioqui studiosis utiles mutili prodirent, neve incautus Lector cespitaret Censurâ animadvertimus in ea loca quæ Veritatis fideique Christianæ tramitem prætervehuntur*. Sed tantula Curatio & ars ad rem approbatoriam conductitiis approbatoribus semper defuisse videtur. Addendum ut in Libro singulari Magnus *Genebrardus* Doctor Sorbonicus Aquensis Archiepiscopus dixit, quod æris publici diribitores electores ejusmodi

modi examinatorum quorum fortunas plerumque Simoniacis ſtipendiis ſuſtentant non doctos ſed Doctores amare ſolent aſinos.

Anno MDCXXXVIII. Doctor ſapientiſſimus *Joannes Filſac* admonuit Facultatem fuiſſe libros quoſdam publici juris factos à quodam Dominicano, cui nomen erat *Campanella*, prætermiſsâ & poſtpoſitâ formâ & conſuetudine Facultatis, ſcilicet, nullâ petitâ licentiâ aut veniâ à cœtu Facultatis; Quæ interdixit Doctoribus Ordinis ex quo Auctor aſſumptus exiſteret, omnis & qualiſcumque approbatione libri, adeo ut Dominicani Jure approbandi libros alteros alterius Dominicani arcerentur & amoverentur.

Hoc monitum à præſtantiſſimo Doctore *Joanne Filſaco* factum conſectaneum fuit neceſſarium Decreti à Facultate facti Kalendis Julii, anno MDCXXXVIII. quo Facultas habitâ ratione admonitionis ſibi factæ, de frequenti approbatione librorum, à Doctoribus, non benè & concinnè emendatorum, culpâmque ejuſmodi advertens erumpere ex eo quod librorum ἀυτόγραφα examinatoribus non

non permitterentur; sed folia quædam jam typis impressa, & primulùm prælo exclusa: ex quibus errata nec expuncta nec correcta fuerant sive Auctorum incuriâ sive Typographorum sumptibus & labori parcentium avaritiâ. Utcumque res efficerent, hinc orta est occasio præscribendi sex conditiones ad perficiendas approbationes quas septimæ accessione cumulavit Sacra Facultas anno MDCXLII. Kalend. Aprilis. Igitur Sacra Facultas statuit.

Primò, Auctores Librorum teneri vel eorum nomine Procuratorem, fidem facere actu publico, se resignasse αὐτόγραφον libri sive lucubrationem examinandam in manus approbatorum à Facultate selectorum

Secundò, prædicti Auctores eodem actu adstringuntur sponsione sincerâ, emendare vel corrigere omnia de quibus ab Examinatoribus admonentur.

Tertiò, tenebuntur facere indiculum errorum quos emendatione & censurâ dignos judicaverint prædicti examinatores.

Quartò, duo ἀπόγραφα formabuntur etiam.

etiam ſcribentur hujus Indiculi, quibus Syngraphum apponet Auctor, cum ſponſione ſincera emendatum iri à ſe omnia ſphalmata ab approbatoribus notata.

Quintò, unum exemplar ἀπόγραφον in manibus Auctoris remanebit aut Typographi, ut eo utantur in operibus aut libris prælo mandandis.

Sextò, alterum verò ſeu primum bene collatum cum ſecundo in poteſtate approbatorum remanebit.

Septimò, hæ ſex conditiones acceſſione ſeptimæ cumulatæ ſunt Kalendis Aprilis anno MDCXLIII. poſtulante & requirente Syndico, ut in poſterum ſervaretur ſtatutum circa approbationem librorum, *quo cautum eſt ut manuſcripti libri ipſi Facultati offerrentur & ei qui ſupplicaverint pro approbatione comes aliquis ab ipſâ Facultate nominetur ; annuit Sacra Facultas.*

Ecce vides, Lector æquiſſime, omnia Decreta, Statuta, conditiones & Leges à Facultate ſancitas, cauſas omnes lite conteſtatâ defenſas ut bene ac ſapienter obtemperaret Senatusconſultis Auguſtiſſimi

Sena-

Senatus Parlamenti Parisiensis annorum MDXXIII. & MDCXXIII. quibus primulùm hoc legendi & approbandi libros de re Theologicâ conscriptos jus ei attributum, recognitum & vindicatum est. Quis verò ex his facilè non intelligat, per eam non stetisse quominùs tot libri & infiniti, hæreticâ pravitate aut fatuitatibus expleti & fœdati in lucem publicam emissi, nunquam visi nec publicati fuissent, si huic Decretorum perfectioni & observationi prava consilia non obstitissent?

Hæc omnia luce meridianâ clariùs patent usque ad tempora infausta quibus tot altercationes & disputationes de Doctrinâ S. *Augustini* exortæ sunt, ad reprimenda molimina *Ludovici Molinæ*, *Leonardi Lessii* & *Francisci Suarezii* Jesuitarum μεγαλονύμων adversus antiquam S. *Augustini*, S. *Thomæ*, *Petri Lombardi*, *Gregorii Ariminensis* & aliorum priscorum Facultatis Theologorum Parisiensium Doctrinam quam suis Successoribus florentissimam reliquerant.

X.

X.

HOc verò *Molinianorum* & *Thomistarum* seu *Augustinensium* negotium singulis annis turgescens admodum amplificatum est anno MDCXLIV. Kal. Decembris quibus D. *Antonius de Breda*, Socius Sorbonicus & Rector Ecclesiæ *Sancti Andreæ ab arcubus*, electus Syndicus admonuit Facultatem Magistrum *Jacobum de Sainte Bœuve*, Socium Sorbonicum & Theologiæ Professorem Regium in Sorbonæ Scholâ, supplicasse Facultati ut approbare liceret librum inscriptum vernaculo sermone, *Defense des veritez prêchées dans l'Eglise de Paris par M.* Isaac Habert, *Chanoine Theologal de la même Eglise*. Idem liber diversum hunc titulum præ se ferebat. *Defense de l'ancienne Doctrine de Sorbonne touchant les principaux points de la Grace prêchez dans l'Eglise de Paris*, eodem Auctore.

Hic liber speciem quandam præ se ferebat Responsionis, ad librum sub hoc titulo ab Anonymo publicatum, *Apologia Domini* Cornelii Jansenii *Ypren-*

Yprensis Episcopi & Doctrinæ S. Augustini explicatæ in suo libro cui titulus Augustinus, *adversus tres Sermones Domini* Habert *Theologi Ecclesiæ Parisiensis habitos in Ædibus Sacris B. M. Virginis primâ & ultimâ Dominicâ adventûs anni* MDCXLII. *& Dominicâ Septuagesimæ* M. DCXLIII. Impress. anno MDCXLIV.

Bini Doctores approbatores Libri *Isaaci Haberti* nomen habebant *Bedacier* qui fuit Monachus Cluniacensis, continenti tempore Episcopus portatilis seu suffraganeus Ecclesiæ Metensis, & Pater *Nicolai* Dominicanus. Statuit Sacra Facultas eorum approbationem non esse reputandam quasi datam Auctoritate Facultatis: sed Doctorum singularium Facultatis & nomine privato. Equidem non existimo tunc primulùm erupisse rumorem in Facultate de re Gratiæ Christi; quippe cùm observatum sit anno MDCXLIII. anteriori Kalendis Octobris, interdictum fuisse Doctoribus approbatione tum librorum propitiorum causæ *Jansenii*, cùm infensorum & repugnantium.

Rebus

Rebus verò sic constitutis, Magister *Jacobus de Sainte Bœuve*, procuratâ sibi à Facultate audientiâ & conducibili declaravit, & liquidò patefecit se neutiquam voluisse approbare prædictum librum honorandi Domini *Isaaci Habert* Theologi Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis, habitâ ratione obtemperationis debitæ mandato Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis obsequiosum silentium imponentis omnibus suæ Diœcesis fidelibus super his omnibus primulùm exclusis ovo & erumpentibus de Gratiâ concertationibus. Insuper alias rationes adjunxit quibus adductus fuerat ut abnueret rogationibus postulantium suam approbationem, scilicet Decretum Facultatis quod violare non ausus fuerat, quo tenebatur seu adstringebatur habere in manibus ἀυτόγραφον manuscriptum libri approbandi, quod reverâ non habuerat. Hæc intelligere facile est ex conceptis verbis regesti seu Codicis Facultatis. *Quibus auditis, ubi Facultas rescivit postulatam veniam approbandi dicti libri ab eo Doctore qui non subscripsit & per alios Doctores fuisse approbatum, da-*

tam

tam approbationem retractandam non censuit, eamque ut privatam valere voluit, prout moris est in ejusmodi approbationibus; nihilominus tamen decrevit ad ejusdem Domini Syndici postulationem ut exactè in posterum servarentur statuta circa approbationem librorum & eorum exemplar, & si non manuscriptum, saltem impressum, in tabulario publico asservaretur, quod etiam de libris quos censurâ Facultatis notari contigerit intelligi voluit pro ut moris est in ejusmodi approbationibus.

Deinceps SS. MM. NN. *Holden & Calagan supplicaverunt Facultati ut liceret librum Anglicè scriptum approbare editum de motivis conversionis per Dominum* Thomam Vasque *Doctorem Anglum, cui supplicationi non annuit Sacra Facultas nisi liber Anglicè scriptus in Latinum verteretur.* Porrò hîc observare convenit Facultatem datam fuisse duobus Doctoribus Anglis examinandi librum Anglicè scriptum, ne à pleno cœtu Facultatis iste liber censeretur judicari & præter Doctores Anglicæ linguæ peritos ab ejusmodi examine arcerentur alii. Hoc ita

ita contigit anno MDCXLV. Kalendis mensis Aprilis.

Aliud exemplum suppeditat annus M. DCXLVIII. Quippè secundâ die Maji, quo anno & mense dolore non consolabili affectus, insigni pietate præstantissimus M. *Guillebert*, conquestus est, de libello famoso in lucem edito sub hoc titulo Gallico & ludicro. *Le Baillon des Jansenistes & Arnaudistes. Lupatum Jansenistarum & Arnaldistarum*, horribili ac fatuo libello à duobus Doctoribus Cordigeris cucullatis approbato, scilicet *Nicolao Charnau* & *Christophoro Braquet*, inconsultâ Facultate, venia scilicet, nec petitâ nec obtentâ: de quo conclusionem decretoriam pronunciavit his verbis conceptis expressam ne indictâ causâ contra consuetudinem quiquam judicarentur *Sacra Facultas mandavit M. N. Fratri* Bonaventuræ De la Vau, *Minorum Custodi, ut rescribat ad præfatos Doctores qui illius Librum approbasse dicuntur & resciat ab ipsis rei veritatem atque ad Facultatem proximis Comitiis referat.*

XI.

X I.

INTRA spatium decem annorum aut quindecim, scilicet, ab anno MDCXXXVIII. ad annum MDCXLVIII; quod ad annum MDCLIII. prorogare & producere nihil vetat, quo Bulla *Innocentii X.* data Romæ pridie Kalendas Junii occasione AUGUSTINI *Cornelii Jansenii* Yprensis Episcopi emissa est, infiniti libri de materiâ Gratiæ Polemici in publicam lucem eruperunt à variis Doctoribus approbati inviolatis legibus Facultatis ut & sartis tectisque permanentibus. Hac intermedietate temporis tres visæ sunt editiones Libri posthumi *Corn. Jansenii* Yprensis Episcopi sub titulo AUGUSTINI approbati à Doctoribus Parisiensibus anno MDCXL. scilicet *Hieronymo Bachelier*, Dunensi Archidiacono in Ecclesiâ Carnotensi Sociò Sorbonico, *Fleury* pariter Socio Sorbonico qui à confessionibus continenti tempore fuit Serenissimæ Polonorum Reginæ *Ludovicæ Mariæ de Gonzagues*, & *Beauharnois* Aurelianensi Viri Nobili Socio Sorbonico, accedentibus duobus Carmeli-

melitis F. *Stephano Molin*, & Fr. *Tussano Richard.* Isti Doctores habiti sunt nemine repugnante, in re Theologicâ omni exceptione majores nullius erroris aut culpæ suspicioni obnoxii, sed virtutis intaminato honore fulgentes, Scholæ Parisiensis Auctoritatem integro vitæ cursu decorarunt.

Eodem tempore maturus prælo exortus est & publici juris factus Liber Doctoris μεγαλωνύμου ANTONII ARNALDI, Socii Sorbonici *de Frequenti Communione*; cum approbationibus Doctorum multorum & Episcoporum Galliæ. At verò cùm librorum coagmentatione obruti viderentur defensores *Molinæ*, *Lessii*, *Suarezii*, seu qui tuendum de gratiâ Christi novum Systema receperant adversus eos qui Augustinianæ Doctrinæ & Thomisticæ nomen dederant, omnis generis molitiones & artes invenerunt ut à mortuis & Inferis sepultos revocarent aut languentes excitarent censores librorum conductitios. Adeóque postpositis Codicillis Regiis sive literis patentibus quibus tam solemni abdicatione se exoneraverat AND. DUVALLIUS,

ut ſupra diximus, ingenti & incredi-bili conatu & exantlatis laboribus infinitis obtinuerunt ab Illuſtriſſimo Franciæ Cancellario *Petro Seguierio*, nominationem novorum examinatorum, qui celato approbationis actu, ſeu formulâ nec typis expreſsâ vim tamen publicationis & Privilegii regii, Typographo & Auctori compararent. Hujuſce generis primi cenſores conductitii Auctoritate Illuſtriſſimi Cancellarii ſine literis regiis ſeù diplomate creationis, ſolo nutu deſignati nomen habuerunt MOREL & GRANDIN ex Societate Sorbonicâ, CORNET & LAUNOY ex Navarricâ, ſingulis aſſignatâ penſione honorariâ ſexcentarum libellarum à diribitoribus regii ſigilli annuatim exſolvendâ. JOANNES LAUNOIUS vir ceteris probitate inſignior, pauperum amicus & paupertatis amans, hoc fœnore allici non potuit, & aureis vinculis colligatas manus Theologi Pariſienſis quæ toties Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem pepererant ad ejuſmodi lucrum porrigere non potuit. Inſuper palàm teſtificabatur quantumvis ſibi perſuaderet eſſe ſe alieniorem ab opinamentis S *Auguſtini*, attamen ſe non poſſe

posse ea condemnare, aut diversa discernere à Commentariis CORN. JANSENII, quem sensum prædicti *S. Augustini* melius assecutum reputabat ipso, ut vocant, Angelo Scholæ S. *Thoma*; ex cujus Doctrinâ eadem incommoda erumpere sibi persuadebat quæ ex Doctrinâ S. *Augustini*. Id verò adeo nervosè & fortiter defendebat ut ex sola Scholastica disciplina placitis Sancti *Thomæ* admixta & ab *Augustini* dictis magis remota totam inter utrumque Doctorem differentiam constitueret, adeóque Sanctum *Thomam* Apostoli *Pauli* Doctrinam suis peripateticis lemmatibus obscuriùs vaporasse; S. *Augustinum* verò clariùs & simpliciùs, sed eandem & omninò parem exposuisse existimaret. Hæc verò omnia ad fidem Catholicam pertinere non reputabat, sed ad diversas Scholas *Aristotelis* placitis ab ortu Scholasticæ artis mancipatas.

Insuper quinque famosas propositiones occasione libri *Cornelii Jansenii* ab *Innocentio X.* damnatas, nullo sensu tuendas recipiebat, immò repudiabat vehementer, & S. *Augustino*, S. *Thomæ* & *Corn. Jansenio*,

 æqua-

æquabiliter contrarias & repugnantes palam & publicè declarabat; ipsum Patrem *Stephanum De Champs*, Jesuitam famosum ipso *Jansenio* deteriorem & magis hæreticum ridebat: Quippè cùm hæc concepta verba primæ propositioni condemnatæ apprimè consonantia in opere de hæresi Jansenianâ intemperanter incurrentia legisset; RECTE TAMEN QUANDOQUE DICITUR NON POSSE JUSTUS IMPLERE MANDATA DIVINA. Lib. I. *de hæresi Janseniana* Disput. VIII. Cap. V. pag. 279. Enimverò cum eâ lege impositam sibi legendorum librorum Provinciam intelligeret ut *Jansenii* propositis & larvis caveret & ejus dogmata exploraret prorsus ejusmodi muneris functionibus abstinuit, & debitis gratiis actis Illustrissimo Cancellario, eo munere perficiendo sibi interdixit.

M. NICOLAUS CORNET ex eadem Societate Navarricâ, *Launoio* nullâ Doctrinæ societate aut necessitudine conjunctus, opprobrium pensionis annuæ pro Veritate tuendâ & fide Catholicâ, munus pridem ab honorando viro & sibi longè commendatissimo *Andreâ Duvallio* abdicatum

catum gerere non potuit, adeoque *Launoii* vestigia quantumvis salebrosa viderentur ingeminando, oblatum Censoris munus cum quantâ potuit humanitatis testificatione neglexit, spontè repudiavit.

Solitarii igitur examinatores librorum & exploratores Magistri CLAUDIUS MOREL & MARTINUS GRANDIN permanserunt, easque vices cum jucundissimâ voluptate reliquo vitæ suæ cursu, dolore non consolabili afflictis & plerumque gementibus Doctoribus veri ac sinceri cultoribus expleverunt, aliis propalàm ridentibus & selectos ejusmodi examinatores in interitum Libertatis Sorbonicæ subsannantibus.

Hisce diebus Doctor præstantissimus in odore pietatis singularis & scientiæ Sanctorum jam defunctus, propter metum Judæorum occultus commonitorium sub titulo *Considerationum* vernaculo sermone scripsit contra Alazoniam & molitionem seu prensationem & susceptionem Examinatorum personatorum & larvatorum, quorum nomina primâ fronte approbationum formulis audacter & libenter subscripta, diligenter celata

& in lucem neutiquàm emissa solisque Symmystis aperta erant, procurandis Privilegiis ad editiones Typographicas librorum de re Theologicâ conscriptorum conducibilia.

Pius & fortis Auctor ejusmodi *Considerationum* rem prorsus horribilem & incogitabilem prodidit adversus prædictum *Claudium Morel*, quippe quem postulavit crimine approbationis inconsideratæ; eo quod testatus esset Instrumento approbationis, se in Alcorano *Mahumetis* de Arabicis pessimis Gallicè scripto deterius, nihil invenisse, fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium. Mihi verò prorsus videtur incredibile in casum tam horribilem quam pertimescendum hunc Doctorem corruisse ut & nimis mente captum.

Cùm ejusmodi negotium percrebresceret certum & perspectum remansit, quod cùm ejusmodi opprobrium *Morello* exprobratum fuerit in libello odiosi generis impresso & publicato adversus tantulum Doctorem nihil retaliare potuit aut redhostire voluit ad resarciendam jacturam famæ & nominis hoc genere sceleris impiati, nemi-

neminem hominem in jus vocavit, aut hac de causâ, aut contumeliâ litem movit intermissam aut longo intervallo repetiit. Reverâ enim eam causam vincere nec difficile nec arduum valdè fuisset temporibus suspiciosissimis in quæ incidimus quibus nimis cupidè condemnare solet iniquus Prætor eos homines quibus iratos aulæ amicos vel Copreas putat.

*Turpe quidem * miseros vitâ spoliare bonisque;*
Turpius at recti specie falsisque latenter
Testibus appositis, & Judice non satis æquo.
Condemnat cupidè nimis illum Prætor iniquus
Cui putat iratum Regem vel Regis amicos.

* *Cancellarius de l'Hospital. Libro V. Epistola de Sacra Francisci II. Galliam Regis Initiatione* pag. 258. Edit. Patissonii 1585.

XII.

MAgister *Martinus Grandin* Socius & Professor Sorbonicus, cujus longa in munere & officio Censoris conductitii permansio fuit, applicatâ voluntate per annos plurimos cum curâ singulari providit ne libri suæ privatæ censuræ obnoxii, in publicam lucem prodirent, suis videlicet ac propriis opinamentis de Gratiâ Christi, prædestinatione, contritione, attritione & præsertim amore Dei repugnantes Jure Privilegii suffulti & Auctoritate Magistrali. De cetero ad rem Theologicam curationem generalem nullam habuisse videtur. Non omnia jam referre juvat quæ inter acerdiæ ejus infinita testimonia recenserentur ex infinitis libellis & libellulis assumpta, suffultis ejus approbationibus, sivè schedis, & testificationibus occultis adeoque Privilegio aut licentiâ Prætoris urbani in tuto positis Verùm tamen specimen quoddam ejusmodi librorum tantâ temeritate & negligentiâ δοκιμαστέων prætermittere nefas est, ex quibus intelligere facile erit quàm

quàm turpe & ſupervacaneum fuerit ejuſmodi cenſoribus conductitiis imprudentibus & temerariis quaſi exactoribus mortis ſcriptorum illuſtrium, permittere delectum & diſcrimen hominum litteratorum luce publica aut tenebris obſcuriſſimis dignorum.

Primâ fronte ſe offert volumen pari craſſamento cum majoribus *in quarto*, ut Bibliopolæ fari ſolent, *Catherinæ l'Evêque* Viduæ Clariſſ. Domini *Vaillant* Ductoris militiæ Pyrotecnicæ Urbis Peronæ in Provinciâ Picardiæ, impreſſum Pariſiis anno MDCLXXXV. viâ Jacobæâ apud *Joannem Cuſſon*, & in palatio apud *Nicol. Le Gras*, in quo hæc leguntur libro III. pag. 140. *Comme les Religieux moraliſent ſur leurs habits qui leur repréſentent la penitence de* S. Auguſtin, *la ſimplicité de S.* François, *la pureté de la Vierge & ainſi des autres, de même les mariez doivent moraliſer ſur leurs ornemens qui leur repréſentent la magnificence de Dieu, ſes divins attributs par la diverſité des couleurs ou bien toutes les vertus qu'il faut pratiquer toute ſa vie pour orner ſon ame mieux que*

 ſon

son corps. Et libro IV. pag. 148. mentione factâ perturbationum animi quas matrimonii usus adfert ejus vinculo capistratis hominibus ; hæc animo minus castigato & prudenti quam castâ linguâ scripta leguntur: *Helas! il y en a qui sont pires; leur amour inconstant cherche des nouveautez dans l'usage du Sacrement, & ils voudroient que le sujet de leur plaisir fût tantôt dans une partie & tantôt dans l'autre: Ils les font tourner de tous côtez, & lassez de voir la face, ils veulent qu'elle leur tourne le dos afin d'experimenter quelque difference dans leur sensualité, ce qui est un peché très-peu moindre que le peché contre nature & celle qui le souffre peche contre Dieu, contre le Sacrement, contre soi-même aussi bien que celui qui l'a proposé.* Et continenti sermone eodem folio; *Dieu ayant créé les brutes depourvuës d'intelligence & partant du bel amour, leur a donné seulement la fecondité naturelle. Ces animaux portez à la conjonction par le pur mouvement de la nature n'ont pas besoin de voir les charmes de leur objet & il leur suffit de voir le sujet*

qui

qui leur est propre. C'est pourquoi l'un tourne le dos à l'autre selon l'ordre que l'Auteur de la nature a établi.

Si cum debitâ curâ & necessaria hunc librum examinasset & pervidisset Magister *Martinus Grandin*, si Decretis Facultatis obtemperans indiculum confecisset antequam approbasset, in quo continerentur omnes absurdæ & notâ dignæ propositiones, si examinatores ἀντιγράφοι deputati ei fuissent, dubio procul ejusmodi librum neutiquam approbasset. Sed conductitii censores omnes leges superant & legislatores Facultatis pipulo differunt, de quibus paulo stomachosius conquestus est Auctor Apologiæ Patrum defensorum Gratiæ Christi, in monito & præloquio particulari præfixo fronti Apologiæ nulli responsioni obnoxiæ, quam publici juris fecit invictissimus Auctor anno MDCXLVI. & cum jucundissimâ voluntate ludificavit Auctor explicationis seu enodationis Loci S. *Augustini* laudati in libro sub titulo *Perpetuitatis fidei* pag. 158. Typis impressæ Montibus apud Viduam *Waudret* anno MDCLXVII.

Non feliciori conatu præfecti Libris legendis incubuerunt Successores sive Collegæ dati dicto Magistro *Grandin*, quippe cum an. MDCLXIX. Magister *De Lestocq*, Professor Sorbonicus & Canonicus Ambianensis & *Franciscus de Hodencq*, Decanus Ambianensis approbaverint, & infinitis laudibus extulerint, annuentibus censoribus ordinariis & conductitiis, librum cujusdam *Davidii* Coxigis Jesuitici, infinitis scatentem erroribus contra Episcoporum amplitudinem & Sacram Hierarchiam, quos non solùm opus fuit sed necesse, jussu Cleri Gallicani ejurari & si fieri potuisset, manu propriâ Auctoris deleri & expungi. Verum enim verò cum eo munere censoris conductitii fungeretur Magister *Edmundus Pirot* anno MDCLXXVIII. approbavit librum IV. Decembris typis impressum Parisiis apud *Guignard* viâ Jacobæa *de vitâ Christi* dicatum Regi Christianissimo Auctore *de St. Real*, qui cùm politior inter literatos inveniri non posset, deterior in re Theologicâ nullibi Scriptor consistebat. Specimen habemus conceptis verbis pag 156. quibus de bonis Græcis & La-

Latinis Gallicè deterius scriptis cum hæresi blasphemiam conjungens ori Christi æternæ Sapientiæ Dei ineffabilis hæc verba inducit. *Pouvez-vous boire le même calice que moi & être* REGENEREZ *du même batême que je dois l'être? Mais quand vous le pourriez, il n'est pas en mon pouvoir de disposer des places que vous voulez avoir, elles sont pour ceux à qui mon Pere les a destinées.* Quasi verò *regenerationem* in Christo Domino recognoscere aut sibi fingere liceret? adeoque peccatum vi regenerationis expunctum, aut aliquem defectum seû carentiam potestatis & omnipotentiæ quam fides Catholica docet semper æqualem, immò & eandem cum Patre, non secus ac naturam eandem semper participasse & habuisse. Hæc conferre licet cum Græco & Latino textu S. *Matthæi* cap. XX. vers. 22. & 23. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; λέγουσιν αὐτῷ, δυνάμεθα· v. 23. καὶ λέγει αὐτοῖς· τὸ μὲν ποτήριον μου πιέσθε, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε· τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου, καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου·

Vulg. V. 22. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus.*

Græc. *Et baptisma quo baptizabor baptizari.*

Verſ. 23. *ait illis: calicem quidem meum bibetis* Græc. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

Editio Montana Gallica.

Pouvez vous boire le calice que je dois boire? (Grec) *& être bâtisez du même bâtême dont je serai bâtisé. Nous le pouvons, lui dirent-ils?* V. 23. *Jesus leur repartit; il est vrai que vous boirez le calice que je boirai;* (Grec) *& que vous serez bâtisez du même bâtême, dont je serai bâtisé: mais pour ce qui est d'être assis à ma droite ou à ma gauche ce n'est point à moi à vous le donner, mais cela n'est que pour ceux à qui mon Pere l'a preparé.*

R. Pater *Bouhours* Societatis nominis Jeſu, ſecutus eſt editionem Montibus factam Græcique textûs differentias prætermiſit non ſecus ac Interpres editionis Trivultianæ *Richardus Simon.* Quapropter viri mul-

multi emunctæ naris Theologi cùm observarent magnâ curâ & fide in hac vitâ Christi quam scripsit *de St. Real*, nullam fieri mentionem Divinitatis Jesu Christi, quod quidem incredibiliter videtur prætermissum à Censore conductitio *Edmundo Pirot*, & tribus ac decem aliis approbatoribus ejusdem libri inconsideratis, Magistri *Edmundi* Sectatoribus (ne dicam servo pecore) quos nihil cohibere potuit quominùs plerique in suspicione Socinianismi ponerentur in infandum barathrum ruituri.

Idem *Edmundus Pirot* hac imaginosi Censoris dignitate capistratus approbaverat librum sub titulo *Maximes des Saints &c.* Archiepiscopi *Cameracensis* quem amplificatâ censurâ condemnavit summus Pontifex *Innocentius XII.* cum omnibus Galliarum & Belgii saltem non repugnantibus Episcopis.

Paucis etiam abhinc diebus idem Censor Librum approbaverat cujusdam Sorbonici Doctoris nomine *Mortier*, è Sodalitio Sansulpitiano alumni De Correctione Fraterna, quem pluribus Senatusconsultis Augustissimus Senatus proscrip-

scripsit monuitque publicè Auctorem Cacoëthicum ut *disponeret Sermones suos in Judicio.*

Liber Gallicus cujusdam *Malaval* hominis Massiliensis sub titulo *Pratique facile pour élever l'Ame à la contemplation*, approbatus fuit à Censore conductitio. Impressus apud *Michalet* viâ Jacobæa anno MDCLXXXVII. Cui censuræ notam inussit Sanctus Cardinalis *Noallius*, Archiepiscopus Parisiensis.

Anno antea elapso, scilicet MDCLXXXVI. publici juris factus est liber sub hoc titulo Gallico, *Morale de S. Augustin*, via Jacobæâ Parisiis apud *Guillelmum Desprez*. In quo legitur pag. 582. *qu'un homme justifié pouvoit commettre un peché mortel de sa nature comme seroit une fornication, sans déchoir de l'état de grace, parceque la charité seroit demeurée en lui habituellement, la cupidité n'y ayant été dominante que passagérement.*

Hic Liber approbatione Doctorum non caret, sed datâ inconsultâ Facultate & legibus ejus antea laudatis inconsideratè pessundatis.

Non est difficile Lectori hujus *Dis-*

Disquisitionis benevolo habere præ manibus duas Epistolas M. *Antonii Arnaldi*, Socii Sorbonici adversus hunc Libellum & præsertim hanc propositionem pravitate hæreticâ Quietistarum inquinatam. Quibus accessit iisdem typis impressa Epistola data die xv. Julii anni MDCCII. ad amicum Clarissimi & Sapientissimi Pastoris S S. Innocentium nomine *Hideux* Doctoris Theologi Parisiensis, ex qua faciliter intelligitur nimia confidentiâ delusum fuisse & cultu quo prosequutus fuerat approbatorem conductitium hominem occultum cujus testificatione solitariâ suffultum eruperat Privilegium cui abnuere approbatione suâ denegatâ, ausus non est.

Fatetur quippe sincerè hac Epistolâ ad amicum neutiquàm in manus aut oculos incurrisse hunc Librum *Morale de St. Augustin*, *de moribus secundum Sanctum Augustinum*, nisi omnibus numeris impressionis absolutum & perfectum, scilicet obtento Privilegii Diplomate, quod non nisi vi & instrumento approbationis præviæ procurari solet Examinatoris seu Approbatoris conducti-

ductitii. Reverâ enim constat ex die adscriptâ approbationibus hujusce libri eas recentiores esse Diplomate Privilegii, adeoque ad illud procurandum supervacaneas & inutiles exstitisse; quippe cùm datæ sint illæ approbationes omnes an. MDCLXXXV. dies verò adscripta Privilegii diplomati anno M. DCLXXXIV. Kalendis Aprilis. Ex quibus dubitandi locus non relinquitur Privilegium emissum fuisse nullâ habitâ ratione approbationum, sed potius approbationes habitâ ratione Privilegii concessi erupisse vi approbationis occultæ & reconditæ Examinatoris seu Censoris conductitii, qui quidem ubi lateat celatâ virtute sui nominis sepultus ad notitiam meam nondum pervenit.

Quidam existimant probabiliter Provinciâ Censoris occulti hac vice jussu magni Cancellarii *Michaëlis Le Tellier*, oneratum vel exornatum fuisse *Philippum le Feron*, aulæ ejus paulo addictiorem in ordinarium Approbatorem conversum fuisse.

Insuper omnes homines qui cum dicto *le Feron* familiaritate & necessitudine conjuncti fuerint, non dubitant

tant ipsum reputasse speciem quamdam Charitatis consistere in eodem homine peccato mortali sociabilem. Nec dubitandi locus relinqueretur, quin eam sententiam approbando suam propriam fecerit & non communem, si quidem Doctorum hominum oculis subjiceretur & typis publicis ederetur opusculum seu lucubratio Gallicè ab eo scripta & à Viris Clarissimis pietate & scientiâ insignioribus fide dignissimis visa & eorum judicio æterno silentio sepulta, quam dictus M. *Ph. Le Feron*, composuit adversus librum Gallicè scriptum *De Contritione* editum Lovanii anno MDCLXXVI. Auctore Abbate *Sancti Stephani* qui prædicta *Ferronii* opinamenta nervosè confutavit in Latina Dissertatione sub titulo *Disquisitionis Theologicæ de Charitate ad obtinendam veniam per contritionem necessariâ.* Embricæ apud *Philippum Cumeum* M. DCLXXXVI. approbata, servatis Legibus Facultatis à sex Doctoribus an. MDCLXXX & MDCLXXXI.

Anno verò MDCLXXIV. D. *Chanut* Abbas Issorensis, Monialium Carmelitarum in Galliâ reformatarum

rum inspectioni ab Apostolicâ sede præfectus, ad scribendam Versionem Gallicam de Latinis Concilii Tridentini animum pium & Romanæ Curiæ addictissimum appulit; adeoque postpositâ traductione Fidei Interpretis *Gentiani Herveti* Canonici Rhemensis Doctissimi, hæc verba Sessionis XIV. cap. VII. *unde merito Pontifices Maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ*, sic traduxit. *C'est pour celà qu'avec grande raison les Souverains Pontifes suivant la suprême puissance qui leur a été donnée* SUR L'EGLISE *Universelle*, quæ sic exposuerat meliori fide & magis applicatâ voluntate GENTIANUS HERVETUS; *De là vient qu'à bon droit Nos Saints P P. les Papes selon la suprême puissance qui leur a été baillée* EN TOUTE L'ÉGLISE.

Quis enim sibi persuadeat sanæ mentis Theologus, præter Jesum Christum Deum & hominem, quemquam habuisse supremam *in Ecclesiam* potestatem, minimè verò *in Ecclesiâ universâ* tuendam recepisse à Deo sibi traditam? Verumtamen hæc qualiscumque sit versio Abbatis *Cha-*

Chanuti, carere non potuit approbatione Doctorum seû Censorum conductitiorum & bene nummatorum, qui eam summis laudibus & Elogiis infinitis extulerunt & exornaverunt, scilicet Magistrorum *Nicolai Gobillon* & *Edmundi Pirot*, die 25. Julii MDCLXXIV. hic liber typis impressus fuit *Sebastiani Mabre Cramoisy* viâ Jacobæâ Paris. MDCLXXXVI.

XIII.

DIû ante D. *Chanuti* versionem anno MDCLXVIII. Clarissimus vir & venerabilis Abbas FAGET Cleri Gallicani Procurator seu Syndicus generalis typis mandavit Parisiis operâ *Mathurini Dupuis* Bibliopolæ viâ Jacobæâ Dissertationes posthumas D. *Petri de Marca* Archiepiscopi Parisiensis cum approbationibus Censorum conductitiorum, inter quas Dissertationes duæ occurrunt, una Latina, Gallica altera; quæ scatent ambæ & affatim sordescunt fæcibus Calvinianis in Re Eucharisticâ; rumores excitarunt immanes qui Rempublicam turpiter miscuerunt. Verumtamen approbationem datam expun-

pungere non coacti sunt censores. Sed iterum prælo commissus est hic liber anno M. DCLXIX. Genuinum opus sui cognati & amici defendit Clarissimus *Fagetius* jure sanguinis & affinitatis contra Doctissimum *Stephanum Baluzium* qui jure familiaritatis & literariæ necessitudinis & studiorum Consortionis à Domino *de Marca* tantum opprobrium amoliri tentavit, pluribus hac de causâ scriptis Epistolis. Approbator conductitius hujus libri, sed in tenebris reconditus, creditur *Martinus Grandin*; si fides habenda est aliis Approbatoribus qui in fiduciâ seu fide dicti *Grandin* palam & publicè subscripsisse se declararunt. Totum hoc negotium plus æquo salebrosum obsequioso silentio celari seu sepeliri posse sibi persuaserunt Episcopi Cleri Gallicani, adeo ut superstitionis Calvinianæ Protestantes in contexta Traditione sive Catenâ Auctorum suis opinionibus sive hæresibus propitiorum, dictum *P. de Marca* Archiepiscopum Tolosanum & Parisiensem recensuerint, uti facile est intelligere ex Historiâ Eucharistiæ vernaculo sermone scriptâ Auctore *Matthæo*

Lar-

Larroquano Superstitionis Calvinianæ Ministro impressâ Amstelodami MDCLXIX.

Eodem ferè tempore, scilicet anno MDCLXXVI. è tenebris erupit liber dignus homine exercitati vultûs in Re pietatis Christianæ sub titulo vernaculo Vitæ Domicellæ *Le Gras* mulieris Christianissimæ, exornatus approbatione M. *Edmundi Pirot*, Auctore *Nicolao Gobillon*, Doctore Sorbonico Pastore Ecclesiæ S. Laurentii in quo multa quidem incurrunt non hæretica, non secus ac in libro dicto Lucubrationum Posthumarum illustrissimi *Petri de Marca*, sed valde salebrosa, inani verborum sonitu expressa & nullâ subjectâ sententiâ vel scientiâ, quæ plerumque humanæ menti sunt incogitabilia, nullisque animi motibus tractabilia.

Enimverò quis perspecta possit habere aut intelligere quæ refert pag. 185. & 186. de Sororibus Sago communi cineritii coloris indusiatis, pauperum ancillis ab homine jam canonizationi vel apotheosi maturo *Vincentio* Presbytero, Congregationis Missionis à *Sancto Lazaro*

ro

ro dictæ, primo præfecto, institutis: quæ post fusas ad tumulum dictæ Domicellæ preces referant domum suam redeuntes, & exhalent odorem Violarum & Iridis, quo valetudinarium adeo vaporant ut ægræ sorores his odoribus suffitæ & fumigatæ videantur. Hæc eleganter confirmat Auctor experientiâ propriâ emuncti & longioris nasi, quo vultûs honestamento multis abhinc annis vinxit. *A quoi je pourrois*, inquit, *ajoûter le témoignage de ma propre experience que j'ai faite plusieurs fois après avoir pris toutes les précautions possibles pour examiner si ce n'est point un effet de quelque cause naturelle. Je n'en ai pû decouvrir aucune à laquelle on le puisse attribuer.* Verùm cùm resciverit Auctor legibus à Facultate sancitis penès Doctores non esse jus approbandi miracula à Sanctis patrata; sed hæc spectare ad Episcopos, non secus ac officia Ecclesiastica & codices precum horariarum, excire non dedignatus est ad sui libri approbationem Archiepiscopos & Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ aliosque magni nominis Pastores & Parœcos.

Insu-

Insuper ejusdem libri pag. 195. §. 3. hæc verba incurrunt, *Vous voila, ô Sainte Vierge mere & fille d'une parfaite charité, Dieu veut que vous cooperiez avec sa puissance par vôtre action à rendre efficace l'incarnation de son fils.*

Hæc humanâ mente assequi arduum & difficile est, cùm solum verbum divinum caro factum sit à solo Deo, & tota incarnationis Verbi efficacitas à Deo solitariè procedat. Ejusmodi propositionis expressam imaginem ex antiquorum & majorum Patrum Sermonibus Græcis & Latinis orationibus extrahere aut exprimere nemo homo potis est.

Præterea pag. 264. & 265. §. 4. cui inscriptus est Gallicè hîc titulus: *Oblation de la Congregation des filles de la Charité à la Vierge.* Hæc verba continenti sermone leguntur. *Vous nous avez, Seigneur, inspiré de faire le choix de vôtre Sainte Mere pour Unique Mere de nôtre petite Congregation avec la pensée qu'elle n'en auroit jamais sur terre par titre & que pas une de nous n'en porteroit le nom.*

Ejusmodi verborum sonitui nulla videtur subjecta sententia, immò quadam enodatione indigent. Incredibile quippè mihi videtur hoc sermone significare voluisse adeoque intelligere pingues & agrestes ancillas Beatæ Virginis & Filias Patris *Vincentii* adeò unicam & solitariam matrem Virginem Mariam sibi selegisse, ut Ecclesiam matrem non recognoscerent. Quid enim hoc incommodo contingere posset magis horribile & pertimescendum? Enimverò cùm Jesum Christum Patrem non habere reputentur qui Ecclesiam matrem non habent, manifestum consectaneum erumperet, scilicet, has agrestes ancillas & cinericio colore indusiatas Ecclesiam matrem in inferiori gradu post beatam Virginem collocare adeoque in errorem Melchisedecianorum præcipites ruere de quibus mentionem faciunt S. *Augustinus* & S. *Epiphanius* in libris de hæresibus, qui Melchisedecho inferiorem Christum reputabant, quia Sacerdos dicebatur in *Psalmis* secundum ordinem Melchisedech. Similiter ancillæ Virginis & pauperum, si unicam & solitariam habeant ma-

matrem Virginem Mariam, ita ut nullam aliam hoc titulo matris insignitam in terris cognoscant, matrem Ecclesiam non habere videbantur, adeoque necessario consectaneo Theologico nec Christum Patrem; quippè cùm filium ordinis inferioris matre suâ aliqua ratione consistere necesse sit. Hæc luce meridianâ clariùs & liquidò magis demonstrare videntur verborum istorum Gallicorum sonitus esse adeo inanes & bono sensu vacuos ut aliqua explicatione & enucleatione recenseri debere videantur. At verò incogitabile & prorsus incredibile est Facultatem Parisiensem curationem ad hanc rem omissuram fuisse, si hujusmodi libri Censores conductitii ad Facultatem indiculum attulissent & obscura hujus libri sphalmata in Indiculo deditâ operâ exposuissent, & leges censoribus impositas perfecissent. Hac arte disperditum fuisset frænum erroris positum in maxillis ceterorum Approbatorum istiusmodi libri, qui majoris Approbatoris Conductitii vestigia ingeminarunt librumque à se ipsis minimè perlectum cœcâ obtemperatione approba-

runt, die 21. Junii MDCLXXVI. Hi autem fuerunt *Franciscus* Archiepiscopus Rothomagensis *Rouxel de Medavi*, *Joannes Ludovicus* Episcopus Adurensis *de Fromentieres*, *Joannes* Episcopus Sagiensis.... *Harduinus*, Episcopus Sambriocensis *Fortin*, *Joannes Baptista* Episcopus Perpiniacensis *d'Estampes*, cum Doctoribus scientiâ & eruditione suâ omni exceptione majoribus *Antonio Raguier de Poussé*, Pastore S. Sulpitii Parisiensis, *Francisco de Monmignon*, Pastore S. Nicolai de Campis *Dionysio Coguet*, Pastore S. Rochi.

Dubium nullum superesse potuisset quin Sacra Facultas excitura esset, si res ejusmodi Libri ad eam fuisset delata, saluberrimam Medicorum Facultatem, eosque rogatura consilium & perquisitionem sinceram de isto violarum odore quo pingues ancillæ pauperum filiæ P. *Vincentii*, vaporantur quoties à tumulo quo condita sunt ossa Institutricis Domicellæ *le Gras* recedunt & domuitionem pergunt ad valetudinarium. Timendi enim locus satis apertus relictus esse videtur, ne spe-

ſpecie piis hominibus & blaceolis contingat quod *Horatius* ait *Serm.* lib. 1. *Sat.* 2. v. 25. *Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius Hircum.*

XIV.

Ditionis Dombenſis Princeps ſeu ſupremus Dominus, leges & conſuetudines Regni Galliæ non declinans in ſuo Principatu inſtituit Librorum Examinatores ſuo merito æquabiles & omnino pares Approbatoribus conductitiis de quibus amplificatam & tantulam mentionem ſupra fecimus, ſelegitque ad hoc miniſterii opus Magiſtros *Bourret* & *Poquelin* & *Tournely* Doctores Sorbonicos, quorum duo priores ſpecimen ſuæ eruditionis & ſcientiæ dederunt ſingulare ad actum approbationis Verſionis Novi Teſtamenti de Latino in Gallicum Sermonem Magiſtri *Richardi Simon* hominis Sancto *Auguſtino* Hipponenſi & Yprenſi infenſiſſimi, datæ menſe Januario anno MDCCII. quam ſolemni ritu cenſuræ decretoriæ proſcripſit Eminentiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus Pariſ. & approbatores in Inſulam Palinodiam Regionis Steſichoriſtarum relegavit.

Ejusmodi negotium approbationum nullâ terminatione posset concludi, si infiniti errores, hæreses, facetiæ, obscœnitates, scurrilitates, fatuitates, inutiles & supervacui verborum sonitus, scientiâ & sententiâ carentes juribus Regni Gallicani repugnantes recenserentur, ipsique Regiæ Majestati contrariæ & injuriosæ propositiones ordine legitimo dispositæ referrentur & coacervarentur, quas ejusmodi Examinatores legum Facultates violatores ære publico conducti insolenter approbaverunt; ab eo tempore potissimùm quo Magistri *Andreas Duval*, & Socii *Quedarne*, *Messier* & *St. Pere* eo se munere plenis comitiis, abdicaverunt Kal. Decembris an. Dom. MDCXXVI.

Verumtamen licetne silentio prætermittere librum publici Juris factum, sub titulo Gallico, *Critique de l'Histoire des Flagellans. Critica Historiæ Flagellantium*, Auctore *Joanne Baptistâ Thiers* Doctore Theologo, Ecclesiæ Vibrensis in Diœcesi Cenomanensi Rectore, Parisiis viâ Jacobæa apud *Joan. de Nully*, sub signo S. Petri anno M. DCCIII. cum Approbatione & Privilegio Regis.

Appro-

Approbationi prædicti Libri subscripsit die VII. Januarii MDCCII. Doctor Sorbonicus M *Berthe*, Approbator unicus factus sicut passer solitarius in tecto, postpositâ licentiâ Facultatis, nullo indiculo facto ac prætermissa relatione & aliis conditionibus, à Facultate sub pœnâ nullitatis impositis & nemine repugnante acceptis. Insuper liquidò constat istum Magistr. *Berthe* invitum huic Approbationi subscripsisse, & palam declarasse tantulum opus Magistri *Thiers* sub titulo Gallico *Critique de l'Histoire des Flagellans*, ineptè, insulsè & absurdè compositum sibi videri, frigidis ac jejunis lœdoriis expletum adversus Auctorem *Historiæ Flagellantium*, hominem minimè noxium, literatorum virorum amicissimum, omnibus Reipublicæ Literariæ Incolis carissimum. Insuper exsurgat Deus: & judicet causam, ex specimine hujus propositionis prudens & Christianus Lector, quæ habetur cap. XI. pag 205. à lineâ 7 ad 20. conceptis verbis in hac Criticâ Historiæ Flagellantium. *C'est un ancien usage de l'Eglise Romaine que les Penitenciers du Pape lors qu'ils sont*

dans leurs Confessionaux soit à Saint Pierre, soit à Saint Jean de Latran, soit à Sainte Marie majeure ayent de grandes verges ou baguettes en leurs mains pour marque du pouvoir qu'ils AVOIENT AUTREFOIS ET QU'ILS ONT ENCORE AUJOURD'HUI *de discipliner les penitens excommuniez & autres qui se presentent à eux pour se confesser de leurs crimes & pour recevoir l'absolution.* Equidem non dubito quin virgæ istæ inventæ fuerint & permissæ, ad argumentum & signum distinctionis & auctoritatis quâ funguntur Romæ pœnitentiæ & exomologesi præfecti Sacerdotes, sicut olim fascibus Consules Romani. Sed ex iis argumentum assumere ad probandum penès eos exstitisse & jam exsistere jus & potestatem flagellandi omnes utriusque sexûs sive sursum sive deorsum homines qui, vel quæ, ad exomologesim faciendam ad genua Sacerdotum appronant seu accedunt (de his quippe solùm agitur in *Historiâ Flagellantium*, insolentibus & obscœnis flagellationibus, quas Auctor efflictim & nervosè friat,) non solum fatuum & supervacaneum est, sed prorsus incogitabile homini qui

de

de potestate mentis non excesserit & sibi in Scholâ Christianâ ritè persuaserit præter culpam & peccatum accidere nihil posse quod sit horribile ac pertimescendum. Neutiquàm probabile aut credibile est, Facultatem annuere potuisse fatuitatibus hujusmodi, siquidem legibus non flocci factis aut antiquatis Magister *Berthe* petiisset à matre venerandâ, licentiam approbandi tam putidum ac sacrum libellum, indiculum quibus scatet errorum fecisset, Senatui Facultatis caussam retulisset, Coadjutores seu ἀντιγράφους Lectores obtinuisset; denique supra recensitis legibus Facultatis obtemperare invitò aut spontè non abnuisset.

XV.

INsuper nemo homo sibi unquam persuadere poterit scientiæ Doctorum defuisse, intelligendas unquam fuisse virgas prætoriales Pœnitentiariorum Romanorum, & assumendas fuisse ad probandam auctoritatem & jus flagellandi pœnitentes; quod iis invitis & dubio procul repugnantibus vindicare studuit prædictus *Joannes Baptista*

Thiers, Auctor Criticæ Historiæ Flagellantium. *Eusthatius* enim Episcopus Thessalonicensis præstantissimus, qui vixit *Manuelis Comneni* temporibus ad annum Christi DCCL. in doctissimis suis ad Iliadem & Odysseam *Homeri* Commentariis observat ad Iliados A. sive primum Cantum, *Rapsodiam à Virgâ sic dictam esse. Veteres quoque affirmant sequuti Callimachum* qui dixit τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον· *Sermonem ad Virgam contextum, Laurea autem erat virga quam tenebant cùm carmen cantarent.* ὅτι δὲ παρὰ τὴν ῥάβδον ἡ ῥαψῳδία εἴρηται, οἱονεὶ ῥαβδῳδία τις οὖσα, φασὶ καὶ τοῦτο οἱ παλαιοὶ, ἀκολουθοῦντες Καλλιμάχῳ εἰπόντι τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον· Δαφνίνη δ' ἦν ῥάβδος ἣν κατέχοντες ἐποιοῦντο τὰς τοιαύτας ᾠδάς·

Observat Suidas, ῥαψῳδοὶ οἱ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐν τοῖς θεάτροις ἀπαγγέλλοντες· αἳ ἐκλήθησαν οὕτως, ἐπεὶ ῥάβδους ἔχοντες ἀπήγγελλον· *Rhapsodi erant qui Homeri carmina in Theatris recitabant, dicti verò sunt ita quia virgas tenentes recitabant.* Sic quippe legendum est ἐπεὶ ῥάβδους ἀπαγγέλλοντες neutiquam ῥαβδούχους ἔχοντες ἀπήγγελλον· *Rhapsodi erant qui* Homeri *versus recitabant. Dicti*

Dicti verò sunt ita quia virgas tenentes recitabant, ut benè ac prudenter animadvertit *Rudolphus Kusterus* in historiâ Criticâ Homeri impressa Francofurti ad Viadrum anno MDCXCVI.

Insuper apud omnes eruditos constat ante ætatem *Homeri* sive priusquam ascesis aliena Carmina ῥαβῳδεῖν esset nota, morem fuisse priscis Poëtis carmina pronunciare ἐπὶ ῥάβδῳ, scilicet virgam manu tenentibus instat pœnitentiæ præfectorum sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ. Hæc verò manifesta consectanea sunt ex iis quæ dicit *Pausanias* in Bœoticis de *Hesiodo* factâ mentione δῆλα γὰρ δὴ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐπῶν, ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ δάφνης ᾖδε· *liquidò patet ex ipsis versibus, quod ad virgam lauri cantaverit.*

De hoc ritu *Homero* antiquiorum Poëtarum & recentiorum non abnuit *Callimachus* in fragmento sarto tectoque quod exstat in Scholiaste *Pindari* publici juris facto in fine hymnorum *Callimachi* studio & curâ impressi Illustris *Annæ* Doctissimi parentis *Tanaquilli Fabri* Doctissimæ Filiæ & Christianissimæ Parisiis Typis Cramosianis anni M.DCLXXV. τὸ ἐπὶ ῥαβδῷ μῦθον ὑφαινόμενον ηνεκὲς ἀείδω δεδεγμένος·

Cujus occasione observavit ad fragmentum x. *Callimachi* pag. 254. Homeri vel aliorum versus intellige, quos ῥαψῳδοὶ Lauream virgam tenentes populo recitabant, ideoque ῥαβδοῦχοι dicti. Scholiastes *Pindari* τοῖς ῥαψῳδοῖς, οἱ μὲν ῥαβδῳδοῖς ἐτυμολογοῦσι διὰ τὸ μετὰ ῥάβδου δηλονότι τὰ Ὁμήρου ἔπη διεξιέναι·

Forte meliùs & castigatiùs in Suidâ loco ῥαδούχους legeretur ῥαβδούχους, nisi retinere malis vocem ῥάβδους ad mentem *Kusteri* ex *Æmilio Porto* Ildebergensi Professore Doctissimo in suis adversariis ad hanc vocem ῥαψῳδοὶ pag. 678. editionis operum Suidæ Typis factæ Genevæ anno MDCXIX. Cùm insuper teste *Hesychio* in suo Lexico hæ voces ῥαβδοῦχοι & ῥαβδοφόροι sint synonymæ & idem prorsus significent.

Jam verò mihi videtur grande nefas, hîc omittere Versionem Gallicam de Latinis vulgatis Psalmorum Davidis jussu *Francisci Harlæi* Archiepiscopi Parisiensis factam quæ jucundissimâ voluptate lectorum animos explevit cum approbatione Examinatorum conductitiorum, quæ sic habet Psalmi CV. v. 37. *Fornicati sunt* in

in adinventionibus suis. Gallicè. *Ils ont fait des fornications par leurs inventions*, quæ quidem Gallicè turpissimam obscœnitatem significant à textu & sensu Sacræ Scripturæ alienissimam, ex quibus nihil aliud intelligitur, nisi Judæos inventione idolorum & novorum Deorum adoratione, vero soli Deo peccasse & infandum malum perpetrasse.

Ex multis Doctoribus unus nec injustus nec imperitus vir ex literis Græcis & Latinis cognitissimus admonitione factâ cœtui Facultatis exposuit usum rectum & perversum approbationum, obtulitque Facultati indicem amplissimum quingentorum errorum & hæreseon extractum ex libris à Censoribus conductitiis approbatis intra annos triginta impressis. Jam verò præterquam quod alia tempora alios mores postulant, patefaceret plusquam octingentos aut mille errores & hæreses quibus istiusmodi libri fœdantur & sordescunt cum suis approbatoribus, si regiis, saltem non egregiis. Sed tantulum opprobrium quo Doctores conductitios inquinari vidit & pervidit Sacra Facultas, cohibuit ne Doctori illi denunciare pa-

 làm

làm & publicè liceret ejusmodi strumas quæ vultum Facultatis deformare viderentur & falsas immò invalidas demonstrare approbationes & non tam in Sapientiæ Doctorum consiliis, quam nescio cujus fortunæ temeritate & aleâ fuisse positas.

Interim viri prudentes & magis providi qui has omnes, violatis juribus & neglectis legibus Facultatis, approbationes datas intellexerunt, eas nullas & inanes penitùs declarandas esse non dubitarunt, earumque Auctores prorsus ejiciendos & amovendos reputarunt; præsertim qui solitarii, nemine accedente antigrapho, & inspectore subscribere testificationibus non abnuunt, celatis nomine & dignitate Doctoris aut Societatis cui cooptati sunt; uti contigit libro cujusdam viri non ignobilis ex vico Argentreo apud Aremoricos oriundi, cui inscriptus titulus Elementorum Theologicorum, quibus solitarius quidam passim ut creditur, Helvetius Janitor, cognomine *Precelles* prætermisso nomine in Baptismo sibi imposito, celatis amplitudine & dignitate Doctoris Parisiensis Sacerdotis & hominis Christiani insolenter subscripsit. Quamo-

mobrem ejusmodi liber nullâ exornatus aut spuriâ suffultus approbatione in Bibliopolæ Officinâ sedet ignotus æternumque sedebit infelix *Theseus*, suæ appendicis accessione cumulatus anno MDCCV. fluctibus oblivionis & pravæ latinitatis. Quippe nullis subnixus lagenis cucurbitinis scientiæ aut sententiæ, immersus, devolvitur, & tandem quiescit. Alioquin in maximum vocaretur discrimen & periculum Censuræ quo versatus est anno M. DCXLIV. X. Kalendis Junii Liber MILLETERII sub titulo *Pacifici Veri*, cui datam approbationem ἀνάπαλιν revocare & expungere coacti sunt Decreto Censorio Magistri *Hemeré Bazire* & *Flavigny* anno MDCXLV.

Eadem agendi ratione & eodem ritu censorio excepit Facultas librum *Amadei Guimenii*, Jesuitæ larvati & Doctores approbatores, videlicet Fratrem *Cyrillum Morel*, Priorem Carmelitarum Lugdunensium & Fratrem *Eliam Vial* ejusdem ordinis, quibus imposita lex fuit abnuendi approbationi & eam rescindendi, datæ VII. Martii MDCLXIV. uti præ se fert, conclusio censuræ latæ pridie nonas Februarii anni MDCLXV.

Inte-

Interim nescio quo fato non placuit Romæ censura prædicta, immò condemnata fuit cupidè nimis à summo Pontifice celatâ causâ, quamvis non sit consuetudo Romanis judicare quemquam indictâ causâ. Dataque est Bulla solemnis ab Alexandro VII. septimo Kalend. Junii, Pontificatus verò sui anno XI. affixa & publicata Romæ Indictione tertia die XXVI. Junii ad instar Bullarum *Urbani VIII. Innocentii X.* & *Alexandri VII.* datarum occasione libri *Cornelii Jansenii* sub titulo *Augustini*.

In Galliam pervenit hæc bulla autographa mense Julio continenti, cujus apographum sincerum in manus suas delatum Illustrissimi Triumviri Regii obtulerunt & patefecerunt Augustissimo Senatui tertio Kalendas Augusti M.DCLXVI. à quo Senatusconsultum, hîc transcribendum decretoriè prolatum est, jam impressum cum dictâ Bullâ in Actorum collectione quæ spectant censuras Facultatis Parisiensis de Hierarchiâ Ecclesiæ & Doctrinâ morum Monasterii apud *Bernardum Raesfeldium*.

La Cour a donné Acte au Procureur Général du Roi (is erat Illustrissi-

ſtriſſimus *Achilles de Harlay*, Pater Illuſtriſſimi Senatus Principis hodie in vivis) *de l'appel comme d'abus par lui interjetté de ladite Bulle, ordonne qu'il fournira ſes moyens dans trois jours; a fait inhibition & defenſe à tous ſujets du Roi de quelque qualité & condition qu'ils ſoient de retenir la dite Bulle, la lire, publier & debiter. Ordonne que ceux qui en ont des copies les rapporteront au greffe de la Cour. ou des Juriſdictions Royales, dans le reſſort deſquelles ils ſont demeurans pour être ſupprimées. A maintenu & gardé, maintient & garde la Faculté de Theologie de Paris en ſon droit & poſſeſſion de cenſurer tous les livres qui contiendront des propoſitions contraires à l'autorité de la diſcipline de l'Egliſe Gallicane. Ordonne que les Cenſures de ladite Faculté de Theologie des livres de* Vernant *& d'*Amadeus Guimenius *ſeront regiſtrées au greffe de la Cour. Fait defenſes à toutes perſonnes de ſoutenir & enſeigner les propoſitions cenſurées, ſoit dans les livres qu'ils compoſeront, ou dans leurs chaires ou Predications à peine d'être procedé extraordinairement contr'eux.*

Or-

Ordonne que les Superieurs des Monasteres des quatre Mendians, des Bernardins, du College de Clairmont & autres maisons de Paris, où il y a exercice de Theologie seront mandez en ladite Cour pour leur être enjoint d'empêcher que ceux qui regenteront dans leurs Monasteres ou maisons n'enseignent aucune des propositions censurées & qu'il sera incessamment informé à la requête du Procureur général du Roi contre ceux qui publieront & imprimeront ladite Bulle & contreviendront au present arrêt. Ordonne que M. Etienne Saintot & Pierre de Brillac, *Conseillers du Roi en ladite Cour, se transporteront Samedi prochain dans l'Assemblée de ladite Faculté de Theologie avec un Substitut du Procureur Général & exhorteront ladite Faculté de continuer ses censures lorsque les occasions s'en presenteront, avec le même zele qu'elle a fait par le passé, & feront lire en leur presence le present arrêt qui sera enregistré es registres de ladite Faculté en leur presence & envoyé aux Bailliages & Senéchaussées & Universitez du ressort pour y être lu, publié & registré. Enjoint aux Lieutenans*

tenans généraux & Substitut du Procureur Général du Roi & aux Recteurs desdites Universitez d'y tenir la main & en certifier la Cour au mois. Fait en Parlement le xxix. de Juillet, mil six cens soixante cinq

Collationné

Signé BILLAIN.

XVI.

Contigit aliquando approbatores librorum, relictâ obtemperatione Legibus Facultatis debitâ, non adstringi retractatione aut revocatione approbationum instar eorum de quibus mox mentionem fecimus. Quippè cùm eas spontè & applicatâ voluntate & propriâ instigatione revocaverint.

Enimverò cum Magister noster Isaacus Habert, Socius Sorbonicus, Ecclesiæ Parisiensis Theologus & continenti tempore Episcopus Vabrensis, approbasset ritu solemni librum R. Patris *Guillelmi Gibieuf*, Socii Sorbonici è Congregatione Ora-

ratorii *De Libertate Dei & Creaturæ* Kal. Februarii MDCXXX. non abnuerit revocare approbationem suam ante sex & decem annos à seipso subscriptam anno scilicet MDCXLVI. in libro à se publici juris facto sub hoc titulo *Theologia Græcorum Patrum vindicata circa universam materiam gratiæ cum perpetuâ collatione Scripturæ, Conciliorum, Doctrinæ S.* Augustini, *S.* Thomæ *& Scholæ Sorbonicæ libri tres, Parisiis sumptibus* Simeonis Piget, *viâ Jacobeâ cum Privilegio Regis*, in quorum libro 2. cap. I. num. V. pag. 148. hæc concepta verba leguntur.

Scio Doctores aliquos ut Patrem Gibieufium *& Dominum* Jansenium *Yprensem oppositam sententiam amplexos. Illius ego probabilem aliquando sententiam Junior Theologus judicabam, Judicium verò istud emendare aut retractare post Facultatis meæ agnitum Decretum & succrescentia ab eâ opinione errorum prius latentium germina, minimè pudere aut molestum esse debet, nec enim Concilio Ariminensi, Palestino Zozimo Papæ, Augustino ipso Doctiores sumus aut meliores quibus frons erroris & blanda*

spe

species imposuit qualis & haec libertatem à peccato cum naturali confundens libertate, omniaque Scripturæ ac Patrum dicta ab una ad alteram Paralogistica traducens, viam sternens ad alia Calviniani dogmatis capita quæ postea in alterius Doctoris scriptis repullularunt, à Summo Pontifice damnata sunt.

Porrò ex his perspectam habere rationem difficile est propter quam Illustriss. *Isaacus Habert*, confundit opiniones *Jansenii* Episcopi Yprensis cum opinione Patris *Gibieufii*, nec aliam inveniri posse puto nisi quia eodem anno Idibus Decembris MDCXXIX. *Jansenius* nondum Episcopus, sed solummodo Doctor & Professor in Theologiâ Universitatis Lovaniensis, librum Patris *Gibieufii* approbaverat de Libertate Dei, quippè cùm aliundè dubitandi locus nullus sit, quin *Cornelius Jansenius* Yprensis in suo *Augustino* Tom. 3. de Gratiâ Libro VII. capite XVI. amplissimè confutet Systema & sententiam Patris *Gibieufii* de Libertate humanâ & ejus amplitudine opusque *Jansenii* sit posthumum nec visum aut cognitum ante annum MDCXL.

quo

quo primulùm Lovanii vulgatum fuit, *Jansenius* verò è vivis excesserit nonis Maji anno M. DCXXXVIII. scilicet anno XI. post datam approbationem opusculo *Gibieufii* ab *Isaaco Haberto.* Duo igitur celeberrimi Doctores, *Cornelius Jansenius* Lovaniensis & *Isaacus Habertus*, Parisiensis, ambo Episcopi, suas approbationes datas libro Patris *Gibieufii* æquabiliter respuerunt.

CONCLUSIO.

ECcum opus exegi & initum consilium perfeci de Origine & Progressu approbationum ad tuenda Jura Facultatis sibi vindicata & asserta super examine Librorum de re Theologicâ tractantium duobus ferè abhinc seculis ab Augustissimo Galliarum Senatu Parisiensi. Leges ab eâ bene ac sapienter conditas & conditiones prudenter appositas, varias variis temporibus non prætermisi, ex quibus approbationes validæ aut nullæ formarentur aut effierent, adeo ut sinceri Historici munus ac provinciam explevisse me non dubitem nec veri quicquam dicere timidus aut falsi

falsi proferre ausus. Porro ab æquis & peritis lectoribus uberes fructus perceptum iri spero confidenter & sponte, si ex omnibus in hac Disquisitione historicâ positis & subjectis sumptionibus seu lemmatis Corollaria consectanea intelligantur.

Primò per eam non stetisse quo minus caverentur incommoda infinita quibus tot abhinc annis laborat Respublica Literarum inconsideratis & temerariis librorum δοκιμασίαις ab anno MDXXIII. ad ætatem nostram adeoque errores & σφάλματα quibus infiniti libri de re Theologicâ tot abhinc annis dedecorantur, non posse ejus negligentiæ adscribi, aut imprudentiæ, aut ei nisi jure omni violato, exprobrari.

2. Omnes ejusmodi librorum approbationes utpote legibus Facultatis pessundatis emissas, non solum inanes & supervacaneas, verum etiam falsas, fictitias & nullas, & suis Auctoribus & subscriptoribus probrosas, nec debere ab hominibus qui de potestate mentis non excesserint, haberi nisi temerarias & fatuas, à Facultate prorsus reprobatas, quippe omni inficiatione dignas.

3. Cùm

3. Cùm Infelicitate temporum & pravis consiliis hominum Imperitorum quibus nihil quicquam injustius est, contigerit ut leges, tam prudenter & sapienter sancitæ servari non potuerint, opprobrium perenne in frontem approbatorum resilire per se singulariter & privatim oportet: ipsam verò Facultatem nunquam tot viris doctis, piis, fortibus & sanctis hominibus, sinceris & illustribus viris coalitam exstitisse quam eâ ætate qua vivimus, in cumulo honoris, gloriæ, amplitudinis & Sanctitatis quam majores nostri Florentissimam reliquerunt, permanere necesse est.

F I N I S.

Veritas amara est, rugosæ frontis & tristis offenditque Correctos.

D. HIERONYMUS adversus Pelag.